





PLACITA GRAECORUM

DE

ORIGINE GENERIS HUMANI

COLLECTA, DIGESTA ET EXPLANATA FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI.

PLACITA GRAECORUM

DE

ORIGINE GENERIS HUMANI

COLLECTA, DIGESTA ET EXPLANATA

(FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT)

A. BOUCHÉ-LECLERCQ,

In Facultate Nanceiana iam licentiatus

Unde hominum genus...
(Virg. *Aen.* I, 744.)

LUTETIAE PARISIORUM
APUD A. FRANCK, BIBLIOPOLAM
(F. VIEWEG)
VIA RICHELIEU, 67.

M DCCC LXXI.

PRAEFATIO.

Quum nuper apud amicos obversarer et inter varios sermones incidisset de origine generis humani mentio, interrogatus quid de ea quaestione censuerint veteres, ut qui eam provinciam aptissime defendere debuissem, ex sententiis philosophorum, quas memoria tenebam, nulla nisi incondita et ceteris argumentis implicata responsa expedire potui; nec quum, hortante poeta qui se discere malle quam nescire profitetur, doctorum libros evolvere coepi, ullam reperi vendibilem commentationem in qua e contextis fontium locis hoc explanaretur argumentum.

Itaque, me operae pretium facturum ratus, si, quae in tot et tam diversis et minime pervagatis veterum scriptis passim leguntur de origine generis humani opiniones colligerem collectasque digererem, diuturno, et, ut libere dicam, ingrato labore effeci ut, quam frustra quaerebam, ea iam quaerenti praesto sit commentatio. Ac primo quidem philosophos tantum attingere in animo erat, quorum maioris momenti esse sententias existimabam, sed idem mihi, quod inter arenas aedificantibus accidit, scilicet, ut majorem operam in firmandis

fundamentis quam in perficienda quae eminet parte, impenderem.

Quamvis enim apud Graecos philosophia, inde ab initio minime superstitionibus impedita atque irretita, sed econtra religioni quodammodo adversa videatur, tamen hoc certe fieri non potest, ut quisquam, quae infans didicit et credidit, ita repudiet, ut his quasi retibus plane solutus evadat :

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu...........

Thales igitur et ii qui postea sapientiae studio se dediderunt, si quis scire velit quid, in ea in qua immoramur quaestione, plane novum et proprium, quid a fabulis et placitis poetarum mutuatum pro suo praestiterint, poetarum somnia et commenta quibus rudes oblectantur populi, excutiat et perpendat necesse est; praesertim quum veteres philosophi, non dissimili ratione usi, sua δόγματα magis ad libitum finxisse quam ex indagata rerum natura hausisse videantur. Imo, nonnulli ex eis, eo maxime suas opiniones confirmari existimabant, quod illae cum fabulis quae de priscis generis humani temporibus a poetis traditae essent, aptissime convenirent.

Mihi ergo non dubitandum fuit in hanc fabularum quasi sylvam irruere, properato sane gradu, ne aut sentibus inhaererem, aut, propositi immemor, inter flores immorarer, aut ea certe laude carerem qua ornatur ab Horatio scriptor qui « semper ad eventum festinat. »

Itaque, huius libelli farraginem ita partitus sum ut primum de mythologia agerem, deinde ad philosophos pervenirem, binaque haec quasi membra operis inter se logographorum assertionibus, qui veteribus ex fabulis credebiles quasdam historias conflare conati sunt, connecterentur et cohaererent. Ceterum, ne quis in mea lucubratione, quae non inveniat, quaerat, sit hoc iam inde ab initio statutum me nihil aliud perficere voluisse, nisi ut, quae a veteribus prolatae sint sententiae, eas inaffectato sermone exponerem; consultoque tantam litem aliis diiudicandam reliquisse. Nam quum eiusmodi res sit ut de *facto* agatur quod extra hominum memoriam positum nullo modo tentare et perscrutari queas, non me pudet me tanto oneri imparem fateri, « *permittoque Divis cetera.* »

PLACITA GRAECORUM
DE ORIGINE GENERIS HUMANI

Quum divinitus a natura mens humana ita efformata sit, ut ab effectu ad causam sponte devolvatur, latentem quaerat, falsamque potius quam nullam amplexetur, quumque praeterea nihil quisque magis compertum habeat quam se esse et ex aliqua origine ortum esse, ideo, ut Ciceronis verba usurpem, nulla gens unquam exstitit tam fera quae non aliquam de origine generis humani opinionem excogitaverit.

Omnium populorum agmen, prout priscorum temporum obscuritas et monumentorum iactura fert, percensere, et, quid de generis humani origine senserint, interrogare, longum opus est, quod ab aliis perficiendum tamen pro virili parte aggredior, de Graecis et obiter de Romanis nunc dicturus.

Ad illam potissimum gentem animum adverti quae cultu et humanitate longe aliis praestitit, quaestionemque explorare et undique versare non dubitavit, nedum primo receptam sententiam, ut maxime obviam, ita pro certissima haberet. Non cadit in barbara ingenia cognoscendi cupido, illeque Graecorum discipulus erat qui nunquam perituro carmine cecinit :

Felix qui potuit rerum cognoscere causas

PARS PRIMA.

PLACITA POETARUM[1]

Qui ad fabulas a poetis de origine generis humani traditas attenderit, profecto omnes ad tres praecipuas opiniones aptissime reduci perspiciet, primam scilicet quae homines e foecundo naturae sinu sponte ortos esse contendat, alteram quae eos deorum filios existimet, tertiam vero quae a diis efformatos asserat.

Quarum prima quum simplicior tum et antiquior pluribus argumentis, quae memorare a proposito alienum est, demonstratur; altera ab Homero et epicis poetis maxime defenditur; ultima a recentioribus poetis, nec sine quodam philosophiae adminiculo, evulgata esse videtur. Liceat igitur quem proponimus ordinem in evolvenda fabularium historiarum serie servare.

(1) V. L. Preller, *Die Vorstellungen der Alten, besonders der Griechen, von dem Ursprunge und den aeltesten Schicksalen des menschlichen Geschlechts* (Philologus, VII, p. 1-60.)

CAPUT PRIMUM.

ORIGO EX NATURA EFFICIENTE.

Primi homines, quum divini numinis notionem aut divinitus insitam, sed incultu et morum feritate obsitam, aut, quemadmodum aliis placet, nullam adhuc habuerint, terram generis humani non modo altricem, sed etiam parentem existimabant et venerabantur, ita ut Terrae Matris cultum inter homines antiquissimum dixerim. De modo autem quo generatum et editum primo fuerit corpus humanum, sententiae discrepabant, neque tamen repugnabant, quippe suae cuique tantum gentis origo curae erat, quam ab aliis plane diversam profitebatur, nedum cunctos homines eamdem originem eosdemque parentes habuisse contenderet. Ac ne extra Graeciam evagemur, alia Arcadum, alia Argivorum, alia Atheniensium invenimus exordia.

Quae videbimur omnia praesenti disquisitionis parte complexi, si omnes αὐτοχθόνας, sive, ut latine verti potest, *terrigenas* dinumeraverimus, qui ex mera vel aqua vel terra, qui ex aquae cum terra commixtione, qui ex arboribus, quique demum e terra animali semine foecundata orti dicantur.

§ I. — *Homines e mera aqua nati.*

Aquae vim genitalem adscriptam nemo mirabitur quum et nihil vivum aut vegetabile sine humido habeat incrementum et animantium corpora liquido sanguine alantur liquidoque semine propagentur. Inde causam eruere facile est, cur

omnium aquarum fons Oceanus a poetis omnium rerum origo habeatur [1]. Legitur apud Homerum :

Ὠκεανὸς, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται [2].

Inde etiam et Aphrodite e spumantibus undis enata aptissime fingitur.

Quae ὑγροῦ ἐνέργεια eos maxime Graecorum qui ex irriguo vallium solo victum comparantes, hanc ubertatem in aquarum defluentibus rivis positam esse intelligebant, impulit ut suos heroas seu atavos ex aqua genitos putarent. Phoroneus, quem Argivi suae gentis et urbis conditorem, logographi primum omnino hominem (τὸν πρῶτον) dicebant [3], Inachi, id est, amnis qui totam alioqui arenosam Argolidem fertilem efficit, filius habitus est. In promptu sunt et alii amnes qui humanam stirpem ex se progenerasse feruntur, Achelous et Asopus et Sperchius, quos quanquam deorum nomine et humano habitu postea decoratos libere fateor, tamen nemo est quin pro veris fluviis agnoscat.

§ II. — *Homines e mera terra nati.*

Haud aliter et qui montana incolebant, quum nubibus involutas et saepe de coelo tactas rupes intuerentur, in montium verticibus, quasi genialibus thalamis, Terram coelestem quamdam vitae facem excepisse, et hominem ex suis ossibus, id est, e saxis et scopulis edidisse arbitrabantur. Nota Deucalionis fabula, Ovidiique carmina :

Ossaque post tergum magnae iactate parentis.....
Magna parens terra est : lapides in corpore terrae
Ossa reor dici : iacere hos post terga iubemur [4].

(1) Aristot. *Met. I,* 3. — (2) Hom. *Iliad.* XIV, 246. Cf. 201. 302. Virg. *Georg.* IV, 382. — (3) Paus. II, 15, 5. — (4) Ovid. *Met.* I, 383. 393-394. Cf. *Ibid.* 414. Virg. *Georg.* I, 62-63. Serv. *Ecl.* VI, 41.

Quod monstrum sane graeco ipso sermone comprobatum ferunt Epicharmus Pindarusque, qui λαὸν e vocabulo λᾶς, λᾶος (*lapis*) deflexum, levissima sane coniectura, contendunt [1]. Haec enim Pindarus in Olympionicis :

Πύῤῥα Δευκαλίων τε Παρ-
νασσοῦ καταβάντε
δόμον ἔθεντο πρῶτον· ἄτερ
δ'εὐνᾶς ὁμόδαμον
κτησάσθαν λίθινον γόνον
Λαοὶ δ'ὀνόμασθεν [2].

Sed infra de Deucalione copiosius.

Arcades suum Pelasgum, gentis Pelasgae auctorem e lapidoso montium corpore prodiisse ferebant :

Ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσιν
Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη [3].

Quam narratiunculam dum explanare conatur Pausanias, ingenue suspicatur non solum Pelasgum sed plures una editos homines : εἰκὸς δὲ ἔχει τοῦ λόγου καὶ ἄλλους ὁμοῦ τῷ Πελασγῷ, μηδὲ αὐτὸν Πελασγὸν γενέσθαι μόνον· ποίων γὰρ ἂν καὶ ἦρχεν ὁ Πελασγὸς ἀνθρώπων [4];

Hesiodus Pelasgum αὐτόχθονα fuisse docebat [5].

Demonstrant Asii modo memorati versus eumdem creditum esse et Pelasgi et generis humani natalem diem, ita ut, Arcadum quidem sententia, prior Pelasgo nemo exstiterit. Imo, audimus Arcades se non modo primos Graeciae incolas, quod libenter quisque concesserit, non modo primos omnino homines, quod etsi non verum tamen haud perabsurdum aestimari potuerit, iactavisse ; sed eo arrogantiae processisse,

(1) Apollod. I, 7, 6. Cf. Holobol. *in Theocr. Syringem.* — (2) Pind. *Olymp.* IX, 42 *sqq.* (66 *sqq.* Ed. Heyne). Schol. *Ibid.* — (3) Asios ap. Pausan. VIII, 1, 4. — (4) Pausan. *Ibid.* — (5) Apollod. *Fragm.* 155. Serv. *Æn.* II, 83.

ut suam gentem luna antiquiorem gloriantes, inauditum sane cognomen προσεληνοὶ adepti sint [1], quod etiam apud Pindarum legere licet :

Εἴτ' ἄρα καὶ προσελαναῖον Πελασγὸν Ἀρκαδία (ἐτέκνωσε) [2].

Perantiquam esse de saxea hominum origine opinionem ex Homeri carminibus liquet, in quibus poeta sermonem » de quercu et petra » tanquam tritum et obsoletum notat,

Οὐ μέν πως νῦν ἔστιν ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρης
Τῷ ὀαριζέμεναι, ἅτε παρθένος ἠΐθεός τε [3].

aut homines e saxis editos tanquam hebeti ingenio et prisca barbarie horridos despicit :

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης [4].

Necnon et Theocriti scholiastae ad verbum πετροβάμον explanandum : « ἐκ πετρῶν γὰρ οἱ βροτοὶ κατὰ τὸν παλαιὸν μῦθον, » notant [5].

Terram non coelesti quodam semine, sed suis ignibus foecundatam in Attica Erechtheum [6], in Lemno insula Cabiros peperisse ferunt. Haec Homerus de Erechtheo :

. . . . ὅν ποτ' Ἀθήνη
Θρέψε, Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα [7].

Auctores *Danaidos* Pindarusque, apud Harpocrationem commemorati, Erechthonium ab Hephaesto, alii ab He-

(1) Schol. Ap. Rh. IV, 264. Sch. Aristoph. *Nub.* 397. Steph. Byz. s. v. Ἀρκάς V. Et. Magn. 690,13. — (2) Pind. ap. Hippol. *Ref. Haeres.* (*Philolog.* I. p. 423). — (3) Hom. *Iliad.* XXII, 126-127. Schol. *Ibid.* Cf. Hesiod. *Theog.* 35. L. Preller, *Philol.* VII, p. 20 *sqq.* *Gr. Myth.* I, p. 63. Schoemann, *Op.* II. 136 *sqq.* Göttling ad *Hesiod. Theog.* 35. G. Hermann, *Opusc.* VI. p. 155. — (4) Hom. *Odys* XIX, 163. Cf. Plat. *Apol.* 34. — (5) Joann. Pediasim. Max. Holobol. *in Theocr. Syringem.* — (6) Herodot. VIII, 55. — (7) Hom. *Iliad.* II, 547.

phaesto Terraque seu Atthide genitum volunt [1], perspicua quidem similitudine idem, quod supra Homerus, significantes, quippe qui Hephaestum pro igne, Atthidem pro Attico solo posuerunt. Notandum est praeterea Atticos suos terrigenas non perfectos homines sed inferiori quidem parte serpentes (ut Cecrops et Erechtheus) sibi finxisse (Cf. *Tritopatores*).

De Cabiris impeditior disceptatio, non quod eos ex Hephaesto, id est, terrenis ignibus genitos minus constet, sed quod eos inter priscos homines solus Pindarus adscribit, ceteri vero deorum maiestate ornatis humanam naturam abnegant. Sed nihil ad rem : quum de hoc tantum agatur ut terrigenarum series uno nomine crescat aut minuatur. Itaque, omissa lite, protinus ad alia transeamus.

§ III. *Homines ex aqua et terra nati.*

Iam nunc, praemissis quae seorsum, perspicuitatis causa, tractavimus, ad hanc terrigenarum turbam accedendum qui ex aqua et terra commixtis necnon solis ardore calefactis, plantarum, vel, ut irrisor ait Lucianus, olerum instar [2], sponte erupisse feruntur. Ac ne quis has fabulas, utpote nugarum fastidiosus, levioris momenti quam aequum est, aestimet, animadvertere iam nunc haud inopportunum censeo, lutum fabricae corporis humani adeo idoneum visum esse, ut qui hominem naturae satu editum negent, plerique fictilem tamen efformatum esse a Deo contendant.

Fidem rei addebat apud veteres ipsa corporis ἀνάλυσις, quod, ut rudis illorum temporum disciplina ferebat, duobus

(1) Harpocr. v. αὐτόχθονες. Cf. Eurip. *Ion*, 267 *sqq*. Apollod. III, 14, 6. Amelesag. Chal. *Fragm*. II, 22, 1. Lucian. *Philops*. 3. — (2) Lucian. *Philops*. 3. Cf. Eurip. *Herc. fur*. 4. Cic. *Rep*. III, 15.

elementis, humido scilicet et terreno, constare putabatur : Inde Homerus :

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε [1].

Deucalionis supra memoratam fabulam si iterum sub examen revocaverimus, apparebit eam duobus plane diversis fabulis coagmentatam esse, quarum altera quidem, nullo fortasse alio argumento quam ambigua verborum significatione innixa, genus humanum lapidum iactu reparatum, altera vero genus plane novum e terra imbribus madefacta cretum refert. Quid enim sibi vult nomen illud Δευκαλίων, quod a vocabulis δεύω et ἅλς deflexum, *madidum* recte interpretari posse videmur [2]? Quid Πύῤῥα, quae fulvum et subrubrum argillae colorem (πυῤῥός [3]) sive, ut aliis placet, frumenti ferax solum (πυρὸς [4]) aperte significat?

Deucalionis nomine illa antiqua eluvio inducitur, quae non maris intumescentibus undis [5], sed imbrium continuatione aucta, humanam sobolem et perdidit simul et restituit; Pyrrham vero, Pandorae matrem, almam omnium rerum parentem Terram agnoscimus.

Ex hac elementorum copulatione orti Leleges seu Locri Opuntii :

. . . . τοὺς ῥα ποτε Κρονίδης Ζεὺς
λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέας πόρε Δευκαλίωνι [6].

Haud aliter et Curetas, quos, quanquam vulgo pro geniis seu daemonibus habitos, tamen quidam primogenitos homines putaverunt, Ovidius « *largo satos ab imbri* » memorat [7].

(1) Hom. *Iliad.*VII, 99. — (2) Völcker, *Japet.* p. 343. Gerhard, *Gr. Myth.* § 650. — (3) Schömann, *Pandora.* 26. *Opusc.* II. p. 297. — (4) V. Schol. Ap. Rhod. III, 1085-1086. Apollod. I, 7, 2. Meineke, *Vindic. Strab.* p. 154. Preller, *Gr. Myth.* I, p. 65, 3. — (5) Paus. I, 18, 7-8. — (6) Hesiod. ap. Strab. VII, 322. — (7) Ovid. *Met.* IV, 282.

Curetis germanam Corybantum cohortem adjungamus,

Γηγενέες Κορύβαντες, ὁμήλυδες, ὧν ποτε Ῥείη
ἐκ χθονὸς αὐτοτέλεστον ανεβλάστησε γενέθλην [1].

qui, ut cecinit Pindarus, arborum ritu, e tepido limo prorepserunt; (οὕς τότε πρώτους ἴδε δενδροφυεῖς ἀμβλαστάνοντας Ἅλιος). Sed, ne diutius tanti poetae membra, Medeae fugientis instar, disiciam, locum quem vellicatim, ut res poscebat, attigi, totum nunc eo tenore quo ex Hippolyti fumo [2], curantibus cc. vv. Millero, Schneidewinio, Bergkio et Hermanno [3], quasi postumus emersit, perscribam, ut, quas nobis non invidit aetas, carminis reliquiae per me non lateant.

Πρώτα δὲ γαῖ' ἄνδωκεν ἄνθρωπον τοτ' ἐνεγκαμένα καλὸν γέρας
ἀμέρου καὶ θευφιλοῦς μάτηρ ἐθέλοισα γενέ-
σθαι γενεᾶς· χαλεπὸν δ' ἐστὶν εὑρεῖν
εἴτε Βοιωτοῖσιν Ἀλαλκομενεὺς [4], λίμνας ὑπὲρ Καφισσίδος
πρῶτος ἀνθρώπων ἀνέσχεν,
εἴτε καὶ Κουρῆτες Ἰδαῖοι ἔσαν, θεῖον γένος,
ἢ Φρύγιοι Κορύβαντες
οὕς τότε πρώτους ἴδε δενδροφυεῖς αμβλαστάνοντας Ἅλιος,
εἴτ' ἄρα και προσεληναῖον Πελασγὸν Αρκαδία,
ἢ Ῥαρίας οἰκήτορ' Ἐλευσὶς Δίαυλον.
ἢ καλλίπαιδα Λᾶμνος ἀῤῥήτων ἐτέκνωσε Κάβειρον ὀργίων,
εἴτε Πελλάνα Φλεγραῖον Ἀλκυονῆ.
Προτόγονον Λίβυες δ'αὖτ' Ἰάρβαντα κρατερὸν
πρεσβύτατον θρασυγυίων Γιγάντων
φάσιν αὐχμηρῶν πεδίων ἀναδύντα γλυκεί-
ας ἀπάρξασθαι βαλάνου Διός· Αἰγύ-
πτῳ δὲ καὶ νῦν Νεῖλον [5], ἰλὺν ἐπιλιπαί-
νων ὑγρᾷ σαρκουμέναν θερμότατι
σώματα ζῶντ' ἀνδιδοῖ.....

Manifestum est Pindarum, quum de diversis caerimoniis

(1) Nonnos, *Dionys*. XIV, 25-26. — (2) Hippol. *Ref. haeres*. V, 7. — (3) Schneidewin, *Philologus*, I. p. 423 *sqq*. VI. p. 155. L. Preller, *Philologus*, VII. p, 1 *sqq*. — (4) Cf. Paus. IX, 33, 4-5. Steph. Byz. v. Ἀλαλκομένιον. — (5) Cf. Ovid. *Met*. ', 422-429.

et mysteriis, obiter, ut solet, mentionem faceret, quis cultus Deorum antiquissimus praedicari possit quaerens, religionem simul cum homine natam asseruisse; ideoque primos homines eosdemque caerimoniarum inventores commemorasse, ut, prout quisque eorum ceteris prior videretur exstitisse, ita ab eo institutus ritus pro antiquissimo haberetur.

Ab isto carmine confirmatur quod iam aliunde noveramus [1], scilicet Boeotos sacerdotes qui in Alalcomenis Athenes cultum curabant, ex adiacentibus paludibus non modo deam ipsam quae ex unda seu Tritone nata (Τριτογένεια) non semel apud Homerum vocatur [2], sed et primum hominem, Alalcomeneae religionis auctorem, Alalcomeneum ortum narravisse.

Diaulos [3] quis sit incertum, ut cuius nomen non raro Δισαύλης [4] vel Δυσαύλης [5] imo Διοκλῆς [6] scribatur : neque intelligere facile est quomodo Phliasius heros ex Attico solo editus fingatur, nisi eum cum non absimili Triptolemo indiscreta coniunctione sociatum concedas.

Alcyoneum Gigantem, quanquam Pindari auctoritate freti, inter homines referre dubitamus, caeterum hominibus e Terra non humida sed torrida (Φλέγρα) natis adnumerandum.

Quae de Libycis et Aegyptiacis historiis refert Pindarus, ne a proposito digrediamur, relinquimus.

Arborea vero Corybantum germinatio opportunam nobis praebet occasionem transeundi ad eos homines qui iam non arborum modo increvisse, sed ex arboribus ipsis prorupisse traduntur.

(1) Pausan. IX, 33, 4-5. Steph. Byz. v. Ἀλαλκομένιον. — (2) Hom, *Iliad.* IV, 515. VIII, 39. XXII, 183. Cf. Hesiod. *Theog.* 924. — (3) Boeckh, C. I. 931. Martial. I, 30, 47. Schneidewin, *Philol.* 1846. I, p. 429 *sqq.* (4) Paus. II, 12, 15. Hymn. Orphic. XLI, 6. — (5) Harpocrat. s. v. Clem. *Protrept.* 17. Paus. I, 14, 2. — (6) Hymn. Homer. *Ad. Cerer.* 156, 474.

§ IV. *Homines ex arboribus nati.*

Hactenus hominem audivimus iam animali vita praeditum protinus e Terrae matris sinu prodiisse, seu adultis viribus nec alienae opis indigus natus existimetur, ut de plerisque terrigenis patet, seu imbecillus, humano more, infans, ut Erechtheum quidam ab Athene receptum et educatum volunt.

Minus simplicem generandi hominis modum excogitaverunt qui eum primo plantarum structura praeditum ad animalem vitam, mira quadam immutatione, perductum censuerunt, ut qui ligneas fibras in carneas conversas esse proprius fidem putarent [1]. Quam opinionem quum aliis quas iam retulimus paulo recentiorem facile credam, tamen ante Homerum pervulgatam testantur supra allati Homeri versus, quorum sensus (pace Goettlingii et Hermanni dicam, qui poetam de Dodonea quercu et rupe Delphica locutum, ut mihi videtur, argutius quam verius, affirmant) cuique obvius est. Caeterum, Dryadum inprimisque Hamadryadum cultus, cum priscam Naturae religionem plane redolet, tum et argumento est opinionem, de qua agimus, a Graecis minime alienam fuisse (Cf. Dryopes, Phegeus).

Ideo mirum videri potest, quod inter Graecos heroas neminem ex arboribus prognatum reperimus : Adonis enim Atysque, alter Cyprius vel Syrus, Phrygius alter, non nisi sero in Graecorum ἡμιθεῶν numerum adsciti sunt, neque suam peregrinitatem omnino exuerunt. De ambobus tamen mentio facienda, ne dum severiorem normam servare volumus, inopportunam brevitatem affectasse videamur.

(1) K. Schwenck, *Philol.* XIV. 1859. p. 391-395.

Adonidem e sorore Myrrha seu Smyrna genitum ferunt, quae quum a patre Cinyra compressa, propter nefarium scelus in arborem immutata esset, e iam ligneo utero infantem, diffissa cortice, emisit :

> *At male conceptus sub robore creverat infans*
> *Quaerebatque viam qua se genitrice relicta*
> *Exsereret. Media gravidus tumet arbore venter.....*
> *Arbor agit rimas et fissa cortice vivum*
> *Reddit onus* [1].

Eadem fere Apollodorus et Antoninus Liberalis [2].

Sed, ut oculos ab infandis amoribus avertamus, nonne verisimile videtur, hanc primam fuisse fabulae formam, ut pulcher adolescens cuius effusus sanguis rosas gignit, lacrymae anemonas, floridi, sed heu! brevis veris imago, ex odorato myrrhae succo genitus dictus sit; Myrrhae vero stuprum posterius a mendaci Graecia excogitatum esse, quod an συμβολικῶς explanari possit, nescire malo quam quaerere. Liceat igitur Adonidem, non ex humano semine sed ex arbusti succo satum, pro arborigena venditare.

Implicatior etiam Attidis fabula quem alioqui Adonidis non dissimilem, inverso geniturae modo procreatum ferunt, ut qui ex arboris semine ab humano utero conceptus dicatur « ὅν πολύκαρπος ἔτικτεν ἀμύγδαλος ἀνέρα συριχτάν [3]. »

Agdistis, id est, Agdi montis numen, seu simplicius Terra Mater, ex Iove seu coelesti imbre gravida, portentosum quemdam androgynum parit (qui et Agdistis nominatur), Diis etiam metuendum, ni isti eum, genitalibus excisis, expugnando coelo imparem effecissent [4]. Tum pudendorum sanguine infecta tellus amygdalum arborem seu malum Punicum emittit, cuius decerpto fructu Nana, filia Sangarii amnis,

(1) Ovid. *Met.* X, 503-513. Cf. Hygin. *Fab.* 58. Myth. Vat. I, 200. II, 34. — (2) Apollod. III, 14, 4. Anton. Lib. 34. — (3) Hippol. *Ref. Haer.* V, 9. p. 168. — (4) Pausan. VII, 17, 11-12. Arnob. *Adv. Nat.* V, 5-7.

fit praegnans Attinque demum Cybelae carissimum parit. Ipsum Pausaniam audiamus : « (Φασι) Δία ὑπνωμένον ἀφεῖναι σπέρμα ἐς γῆν, τὴν δὲ ἀνὰ χρόνον ἀνεῖναι δαίμονα διπλᾶ ἔχοντα αἰδοῖα, τὰ μὲν ἀνδρός, τὰ δὲ αὐτῶν γυναικός· ὄνομα δὲ Ἄγδιστιν αὐτῷ τίθενται. Θεοὶ δὲ Ἄγδιστιν δείσαντες τὰ αἰδοῖα οἱ τὰ ἀνδρὸς ἀποκόπτουσιν. Ὡς δὲ ἀπ' αὐτῶν ἀναφῦσα ἀμυγδαλῆ εἶχεν ὡραῖον τὸν καρπόν, θυγατέρα τοῦ Σαγγαρίου ποταμοῦ λαβεῖν φασι τοῦ καρποῦ· ἐσθεμένης δὲ ἐς τὸν κόλπον καρπὸς μὲν ἐκεῖνος ἦν αὐτίκα ἀφανής, αὐτὴ δὲ ἐκύει· τεκούσης δὲ τράγος περιεῖπε τὸν παῖδα ἐκκείμενον. »

Dicas omnia tentasse Naturam, ut ex aqua et terra, humano sanguine plantorumque humore permixtis, illum toties deploratum deae amicum conflaret.

Talem mythorum congeriem excutere et per partes singillatim dispicere plus laboris quam utilitatis habet, neque committemus ut ex digressione in aliam transisse arguamur [1]. Hoc modo notandum, quasi gradatim elaboratum esse Attidis corpus; elementorum copulatione primo monstrum editum, deinde ex arboreo fructu, iuvante Sangarii humore, iam perfectum germinasse infantem. Utut est, Adonis Attisque nobis de origine generis humani disserentibus eo minoris momenti sunt quo numinibus propiores, praeterquam quod, ipso aetatis flore marcidi, nullam ex se sobolem propagasse dicuntur.

Magnam apud Romanos gratiam habuit opinio quae ex truncis nata corpora docet; nec sane mirandum eam gentem quae omnia numinis plena, omnia ab interiore quodam daemone custodita crederet, sylvanos primo daemones, mox et sylvestres homines sibi finxisse.

Ita Virgilius de Aboriginibus :

Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,
Gensque virum truncis et duro robore nata [2].

(1) V. Schneidewin, *Philol.* 1848. III, p. 247-266. — (2) Virg. *Æn.* VIII, 313-314.

et summatim Iuvenalis :

Quippe aliter tunc orbe novo coeloque recenti
Vivebant homines, qui rupto robore nati
Compositove luto nullos habuere parentes [1].

Attamen, Servio teste [2], Cato, communi sententiae adversans, Aborigines non terrigenas, sed primos Italiae incolas fuisse in Originibus scripsit : sed vulgo recepta fides, et huic quoque placuit victa causa Catoni.

His utcumque absolutis, ad recensendos homines quos ex terra animali quodam semine foecundata ortos ferunt poetae nos conferamus.

§ V. — *Homines e terra animali semine foecundata nati.*

Ac primum, ne quid ambigue et obscure dicatur, haec est vis et voluntas verbi « *seminis* » ut « *animale semen* » quum dicimus, intelligatur oportet non genitale semen quod, si a diis in terram effusum traditur, elementorum copulationem aperte significat, ut ex Erechthei et Agdistis fabulis liquet, sed quaelibet materies seu ὕλη, modo fuerit ex animali corpore deprompta, quae terrae, ceu pani fermentum, admixta, humanae proli aliquando dederit exordium.

Cuius sationis tria exempla afferam, Cadmeorum segetem et leonis Nemeaei foecundum cadaver, Titanumque postumam progeniem breviter commemoraturus.

Trita sane Cadmi et draconis fabula [3]. Interfecti monstri

(1) Juv. *Sat.* VI, 11 *sqq.* — (2) Serv. *Æn.* I, 6. —(3) Eurip. *Phoen.* 5 *sqq.* 639 *sqq.* *Herc. fur.* 4. *Phrix. fr.* 816. Apollod. III, 1, 1. IV, 1. 2. Ovid. *Met.* III, 1-130. Pausan. IX, 5, 1. Schol. Eur. l. c. Schol. Hom. *Iliad.* II, 494. Schol. Ap. Rh. III, 1179.

dentes Pallas, seu, Palladis iussu, Agenorides exarato solo conserit :

Pallas adest, motaeque iubet subponere terrae
Vipereos dentes, populi incrementa futuri.
Paret et, ut presso sulcum patefecit aratro,
Spargit humi iussos, mortalia semina, dentes.
Inde, fide maius, glebae coepere moveri,
Primaque de sulcis acies apparuit hastae,
. . . . . . *crescitque seges clipeata virorum* [1].

Propterea illis Gigantibus inditum nomen Σπαρτοὶ, quorum quinque inexspectato bello superstites, Udaeus, Chthonius, Echion, Pelor et Hyperenor, todidem Thebanorum gentium auctores ferebantur.

Idem prodigium Iasoni accidisse narrant.

Minus nota Nemeaei leonis progenies de qua num quisquam, praeter Apollinii scholiastam, mentionem fecerit, nescio. De Gigantibus, qui Argonautas a Dolionibus hospitio exceptos aggressi sunt, verba faciens ait scholiasta : « ὁ δὲ μῦθος ἀπὸ τοῦ Νεμεαίου λέοντος αὐτοὺς γεννᾷ, καὶ ὑπὸ Ἥρας ἐφ᾽ Ἡρακλεῖ τετράφθαι φησίν [2]. » Quomodo ex leone generati sint isti terrigenae, non liquet ; sed, quum a vivo animante procreari homines plane a solitis Graecorum commentis abhorreat, restat ut, seu Aristaearum apum ritu, ex interfecti cadavere, seu, ut melius placet et ipsum cognomen (Γηγενέες) indicat, e terra sanguine et sanie delibuta editi fingantur.

Titanes inter et homines quamdam exstitisse affinitatem veteribus placuit, quam nullo alio argumento magis quam indomito et impio hominum animo comprobari existimabant. Ideo primum Titanum amicos homines finxere, deinde genus humanum a Prometheo formatum, postremo illud genus e Titanum sanguine seu cinere, plantarum ritu, ortum.

(1) Ovid. *Met.* III, 102-110. Cf. Virg. *Georg.* II, 336. — (2) Schol. Ap. Rh. I, 996.

Hanc tertiam opinionem quae, utpote Orpheo adscripta, pro antiquissima venditatur, novissime ab Orphicorum carminum inventoribus excogitatam patet, qui, neoplatonicam doctrinam, tanquam Orpheo a Sole enuntiatam, commendare voluerunt. Sole enim rerum causas docente, ut fertur : « Ὀρφεὺς ἐξέθετο θεογονίαν καὶ κόσμου κτίσιν, καὶ ἀνθρώπου πλαστουργίαν [1]..... »

Iniqua igitur hominum fata et malorum quae *aegri mortales* patiuntur originem rectissime expedire posse sibi videbantur isti philosophi, homines si Titanum filios et propter paternum scelus diis invisos docerent. Propterea in Orphicis :

> Τιτῆνες, ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων
> ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ πάντων θνητῶν πολυμόχθων [2].

Genus tamen nostrum non a Titanibus procreatum ferebant, quod, ut plane novum, adulterationis suspicionem habuisset, sed, quum iam antiquitus Hesiodus e Titanum sanguine plurima et horrida monstra, Hydram, Chimaeram... etc., necnon et venenifera animantia orta cecinisset, homines pro monstris et animantibus reposuerunt [3].

Orphici carminis rimas expleat ille Dionis Chrysostomi locus : « λέξω ὑμῖν οὔτε τερπνὸν ὄντα οὔτε χαρίεντα λόγον, ὅτι τοῦ τῶν Τιτάνων αἵματος ἐσμὲν ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι· ὡς οὖν ἐκείνων ἐχθρῶν ὄντων τοῖς θεοῖς οὐδὲ ἡμεῖς φίλοι ἐσμὲν ἀλλὰ κολαζόμεσθά τε ὑπ' αὐτῶν καὶ ἐπὶ τιμωρίᾳ γεγόναμεν ἐν φρουρᾷ [4]. »

Quomodo autem geniti homines, audias Ovidium. Titanibus fulmine deiectis,

> *Obruta mole sua cum corpora dira iacerent,*
> *Perfusam multo natorum sanguine Terram*

(1) Joann. Malela. IV, p. 31. Cf. Cedren. p. 58. — (2) Hymn. Orphic. XXXVI. — (3) Schol. Greg. (*Catal. Bibl. Bodl.* I. p. 46). Nicand. *Theriac.* 7 — (4) Dio Chrys. *Orat.* XXX, 550.

Inmaduisse ferunt, calidumque animasse cruorem,
Et, ne nulla suae stirpis monumenta manerent,
In faciem vertisse hominum [1].

Aliter scriptum invenimus apud Platonis interpretem Olympiodorum : « καὶ τούτους (Τιτᾶνας) ὁ Ζεὺς ἐκεραύνωσε καὶ ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν ἀτμῶν τῶν ἀναδοθέντων ἐξ αὐτῶν ὕλης γενομένης γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους [2]. »

Ii denique qui divino Numini hominum amorem, sublato metu, conciliare malebant, eo fabulam a Dione commemoratam detorsisse videntur, ut homines a Iovis sanguine ortos contenderent. Ita Iulianus : « ἀποβλέψας εἰς τὴν τῶν θεῶν φήμην, ἣ παραδέδοται διὰ τῶν ἀρχαίων ἡμῖν θεουργῶν, ὡς, ὅτε Ζεὺς ἐκόσμει τὰ πάντα, σταγόνων ἱεροῦ αἵματος πεσουσῶν, ἐξ ὧν που τὸ τῶν ἀνθρώπων βλαστήσειε γένος, καὶ οὕτως οὖν συγγενεῖς γινόμεθα πάντες [3]. »

Sed haec post Platonem, imo, post Christum a philosophis excogitata, inter poetarum placita vix inseri possunt. Leves enim priorum temporum Musae quid ex suis fabulis verisimile, quid absurdum colligi posset, parum curabant. Gentis cuiusque proavos carminibus illustrare, non generis humani originem quaerere placebat : imo, si quae tractavimus memoria repetas, non modo non communem omnium hominum patrem invenies, sed apparebit terrigenam quemque, quum solus sine uxore sit editus, coniugem aliunde sibi adsciscere debuisse, et idcirco pro generis humani auctore nullo modo haberi posse.

Verum, terrigenae iam valeant, Deorumque filios adeamus.

(1) Ovid. *Met.* I, 156 *sqq.* Cf. Oppian. *Halieut.* 9. — (2) Olymp *In Phaedonem.* — (3) Julian. *Orat. frag.* p. 292.

CAPUT II.

FILII DEORUM.

Quam vulgo recepta sit a poetis opinio quae homines e Terra editos refert, ex congestis in prima commentationis parte locis abunde constat. His vero locis si alia, et ea quidem notissima, conferamus, quibus dii ex Urano seu Coelo patre et Terra matre geniti traduntur, quid inde sequitur, nisi ut homines Deorum fratres, natu quidem et viribus minores, quippe qui ex iam effoeta et Deorum, Titanum, Gigantum partu debilitata Terra nati sint, sed fratres tamen dici possint?

Quam consequentiam illustrissimi poetae non recusant. Audiamus Hesiodum asserentem :

Ὡς ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι [1].

et elegantius Pindarum :

Ἓν ἀνδρῶν ἓν θεῶν γένος,
ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν ματρὸς ἀμφότεροι [2].

Adeat, cui haec non satis, hymnos Homericos qui, quanquam Homero perperam, priscis tamen quibusdam vatibus recte adscribuntur, ibique non semel Terram, ut omnium et Deorum et hominum matrem celebratam legat; tum profecto, quod ipsa superbissima Iuno fatetur [3], non negabit.

Postremo Homerum ipsum, omnium poetarum ingenio et aetate principem, in litem adducamus. Qui hoc maxime ab

(1) Hesiod. *Op. et d.* 108. — (2) Pind. *Nem* VI, 1 sqq. — (3) Hymn. Hom. *Ad Apoll.*

aliis dissentit, quod non e Terra sed ex Oceano, quem Terra antiquiorem, ut videtur, existimat, Deos ortos, generata omnia praedicat : « Ὠκεανὸς θεῶν γένεσις — ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται [1].

Πάντεσσι ; ergo et hominibus : habemus poetam confitentem eamdem hominum atque Deorum originem fuisse. Attamen, ne quid praemature occupasse videamur, fatendum est eam non esse vim Homerici oraculi, ut homines immediate ex elementorum copulatione et coagmentatione cretos significet, praesertim quum persaepe ab eodem poeta Iupiter vocitetur « Ζεὺς πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε [2] ». Quaeramus igitur num *patrem* quum dicat Homerus, genitorem intelligat. Quid? Iovemne Neptuni et Plutonis et Iunonis, ne dicam Saturni et Urani, patrem dicemus? Multorum sane sed non omnium Deorum genitor si πατὴρ θεῶν vocatur, quid obstat quin πατέρα ἀνδρῶντε θεῶντε potius hominum Deorumque rectorem et moderatorem interpretemur? At multorum hominum pater, plurium avus celebratur. Ita sane, sed non omnium.

Imo, ad litem dirimendam, animadvertere satis est nullum unquam mortalem, ne Herculem quidem, omnium heroum praestantissimum, utrumque habuisse divinum parentem, sed e mortali aut matre aut patre genitum esse; ita ut nunquam mortales filios Dii genuissent, nisi prius iam humanum genus exstitisset. Ergo manifestum est primam stirpis humanae originem a Diis nullo modo deduci posse, neque, si id Homerus asserat, aliud inde colligendum, nisi quod aliquando divinus vates dormitaverit. Sed nihil tale Homerus; qui tantum abest ut omnes homines a Diis genitos existimet, ut a suis heroibus, divina prosapia insignibus, ignobile vulgus procul arceat. Illi divino iure regnant, imperant; plebs

(1) Hom. *Iliad.* 201. 302. 346. — (2) Cf. Hesiod. *Theog.* 47. *Op. et d.* 59.

vero, gregi similis, ante optimatum conspectum pavet. Quam tam perspicue poeta profitetur sententiam quis ita prave interpretetur, ut gregariam illam multitudinem e divina stipite aeque ac heroes, pullulasse credat? Itaque non procul a vero aberrare videbimur, si heroici temporis homines in duo genera distinxerimus; alterum quidem infimum quod e quercu et robore editum fingitur, alterum vero ex Deorum foecundis amoribus ortum. Quae quamvis plane diversa sint hominum genera, tamen, quoniam, ut iam supra ostendimus, mortalis progenies a Diis, nisi admixto mortali semine, generari non potest, necesse est hoc mortale semen a Terra petamus, eoque res redit ut genus humanum simpliciter e Terra ortum esse dicamus, quosdam vero ex hominibus, terrenae simul et divinae naturae participes, numini propius admotos esse.

Homerum igitur et eos qui Homerum secuti sunt, nil obstat quin inter eos adscribamus qui hominum genus terrigenam esse existimaverunt. Quod cumulatius quidem confirmaretur, si, collatis inter se variis fabulis, sub Deorum nomine elementa ipsa induci, et pro Iove aethera dieique lucem, pro Neptuno aquam, pro Apolline solis calorem, pro Vulcano, ut iam supra tentavimus, ignem reponendum esse ostenderemus.

Verum enimvero, quum hoc sit nobis propositum, ut, non quid fabulis subsit, sed quid poetis placuerit, quaeramus, poetae vero commentitios Deos pro veris habuerint, iam nunc, ne, aut a placitis poetarum, si fabulas explanare aggrediamur, aut ab incoepta indagatione, si Deorum immoremur amoribus, aeque declinare videamur, de filiis Deorum omnino tacendum.

CAPUT IV.

HOMINES A DEO CREATI.

Sequitur ut, relictis qui corpus humanum Terrae quasi fructum esse voluerint, eorum opinionem referamus, hucusque plerisque et doctissimis viris probatissimam, qui genus humanum a divino Numine efformatum esse arbitrati sint. Efformatum, non proprie creatum dicimus, quippe, quanquam Graeci interdum nimis acutae naris arguuntur, tamen quod ratiocinio assequi non poterant, nempe quidquam *ex nihilo* factum esse, id nemo ex eis unquam professus est.

Atqui haec, de qua agimus, hominum fabrica non modo deum artificem, sed et idoneam materiem necessario requirit. Quis fuerit artifex, parum interest, modo deus; ex qua autem materie conflatum sit opus, multum : propter hanc videlicet causam, quod, si ea iam vita praedita sit materies antequam in humanam effigiem confingatur, artificis opus plus quam inchoatum videtur. Dicet hoc loco aliquis : Unde inaudita ista coniectura?

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?

Nulla sane, nisi quae de Aeginensium origine poetae commenti sunt, nempe Iovem ex formicis Myrmidones, quos regeret Aeacus, creasse :

Ὅσσοι ἔσαν μύρμηκες ἐπηράτου ἔνδοθι νήσου
τοὺς ἄνδρας ποίησε βαθυζώνους τε γυναῖκας

οἳ δή τοι πρῶτον ζεῦξαν νέας ἀμφιελίσσας·
πρῶτοι δ'ἱστία θέσσαν, νεὼς πτερὰ ποντοπόροιο [1].

Quid? nonne Hesiodus tertium seu aereum genus hominum e fraxinis (ἐκ μελιᾶν) a Iove confectum refert? Caetera qua ex materie constiterint, nescio, quum metallorum nomina imminutam in dies generis humani conditionem, non naturam significare videantur. Ac ne infra haec Hesiodi carmina retractemus, quibus deos corporis humani opifices poeta profitetur, arripiamus opportunam illa proferendi occasionem.

De primo seu aureo genere hominum :

Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων
ἀθάνατοι ποίησαν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.

Quo sepulto :

Δεύτερον αὖτε γένος πολὺ χειρότερον μετόπισθεν
ἀργυρέον ποίησαν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες [2].

Illud quidem Saturno regnante creatum, a Iove exstinctum. Caetera et quidem deteriora Iupiter ipse finxit :

Ζεὺς δὲ πατὴρ τρίτον ἄλλο γένος μερόπων ἀνθρώπων
χάλκεον ποίησ' οὐκ ἀργυρῷ οὐδὲν ὁμοῖον
ἐκ μελιᾶν.....
Αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν
αὖτις ἔτ' ἄλλο τέταρτον ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ζεὺς Κρονίδης ποίησε [3].....

De ultimae et pessimae stirpis fabrica tacet poeta, quasi tam pravum opus Iovi adscribere impium putet; sed ex hac ipsa reticentia quid sentiat intelligitur.

Praemissis igitur de quibus paulo ambitiosius praefari

(1) Hesiod. ap. Schol. Pind. *Nem.* III, 21. Cf. Hyg. *Fab.* 52. Ovid. *Met.* VII, 614 *sqq.* — (2) Hesiod. *Op. et d.* 108. 126. — (3) Hesiod. *Op. et d.* 142. 155.

videbar exemplis, sit unum huius capitis argumentum hominis ex luto fabrica.

§ 1. *Homines a Vulcano formati.*

Dum pia gens Hebraeorum inde ab origine hominem e terrae limo a Deo formatum, ut S. Scriptura testatur, credidit, sero apud Graecos illa fides invaluit, cuius nullum apud Homerum exstat vestigium. Tamen, in carminibus quae in Hesiodum, aetate Homero proximum, conferuntur, inolescentis opinionis iam exordia deprehendere licet.

Ac primo quidem non genus humanum, sed mulierem et femineum sexum, utpote virili humiliorem, e luto fictum esse contendebant, si modo Pandorae fabulam recte interpretemur [1]. Quomodo ante Pandoram creatam homines propagari potuerint, non liquet, nisi Pandoram, ut quidam volunt, minime pro omnium feminarum, sed pro improbarum mulierum prima habere mavis. Utut est, Hesiodo, non mihi, irascantur mulieres, quod, re consulta et explorata, haec mihi poetae sententia fuisse videtur, ut, Pandorae fabricationem dum narraret, omnium feminarum matrem et exemplar irati Iovis iussu creatam crediderit. Penes auctorem fides erit :

> Ἐκ τῆς γὰρ γένος ἐστὶ γυναικῶν θηλυτεράων·
> τῆς γὰρ ὀλώϊόν ἐστι γένος [2]....

Caeterum, quid profuerit mulieribus Hesiodi convicium effugisse, si aliorum non possint? Fuerunt enim praeter Hesiodum et alii qui hanc sententiam propugnarint, teste Pau-

(1) Hesiod. *Theog.* 570-590. *Op. et d.* 60-90. Schoemann, *Pandora. Opusc. Acad.* II, p. 287. — (2) Hesiod. *Theog.* 590.

sania : « πεποίηται δὲ Ἡσιόδῳ καὶ ἄλλοις, ὡς ἡ Πανδώρα γένοιτο γυνὴ πρώτη [1]. »

Iupiter, aegre ferens ignem hominibus a Prometheo furtim redditum :

Ἥφαιστον δ' ἐκέλευσε περικλυτὸν ὅττι τάχιστα
γαῖαν ὕδει φύρειν, ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδὴν
καί σθένος· ἀθανάταις δὲ θεαῖς εἰς ὦπα ἐΐσκειν
παρθενικῆς καλὸν εἶδος, ἐπήρατον. . . . .
αὐτίκα δ'ἐκ γαίης πλάσσε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις
παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον [2].

Igitur a Vulcano fabricata, funestisque exornata donis inter homines processit Pandora « τοῦ πηλοπλάστου σπέρματος θνητὴ γυνή [3]. »

Satis commode Vulcano effingendi corporis negotium datur; quia, praeterquam quod is solus inter immortales et peritus artifex et signorum excusor erat, necesse videbatur vitalis calor aut a Iove seu caelo, aut a Vulcano, seu terreno igne, peteretur. Et hic quidem, quam facile et obvium foret fabulae sensum eruere, si fabulas non enarrare sed explicare nobis propositum esset, vix opus est lectorem admonere. Apud Simonidem Amorginum, mulierem quum ex animantibus, tum e limo a Diis fabricatam videmus : Τὴν δὲ γηΐνην πλάσαν οὐλύμπιοι [4]. »

Postea, ut videtur, poetae Vulcanum non modo mulieris, sed hominis simpliciter dicti, id est, generis humani artificem narrabant.

Ita se habet apud Lucianum, multis sane aucta commentis, fabula. Inter Minervam, Neptunum Vulcanumque quum orta esset de artis praestantia contentio, Minerva quidem domum aedificavit, Neptunus taurum finxit, Vulcanus hominem.

(1) Paus. I, 24, 7. — (2) Hesiod. *Op. et d.* 60 *sqq.* — (3) Aeschyl. ap. Procl. *Opp.* v. 621. — (4) Stob. *Floril.* 73, 61.

Quod sequitur, recentiorum festivitatem plane redolet, scilicet hominis architectum a Momo litis arbitro increpatum quod non illius pectori valvas applicuisset, quibus apertis nota fierent omnia quae aut cogitaret aut vellet.

§ II. — *Homines a Prometheo formati.*

Sed creati hominis laudem Vulcano eripuit aemulus Prometheus quem generis humani primo amicum, deinde praeceptorem, postremo conditorem poetae finxerunt.

Quomodo Vulcani partes Prometheus, et origine et voluntate plane diversus, pedetentim susceperit, intelliget qui poetarum vestigia relegere voluerit. Namque initio quum animadverterent isti ignem adeo hominum commodis prodesse, ut homines ignis usu maxime feris praestarent, eum coelitus in terras delapsum seu, poetico more, Vulcanum e caelo deiectum esse [1], et ab eo genus humanum cultu et variis artibus instructum dixerunt : postea vero, ignis, omnium elementorum imperiosissimi, quo et Naturae quodammodo vim inferre liceat, potestatem hominibus factam mirantes, aliam fabulam excogitaverunt qua ignem coeleste quidem donum esse, sed invito Naturae creatore hominibus collatum demonstrarent ; ideoque ex antiqua Titanum progenie *Prudentem* quemdam, graece Prometheum [2], pro tanti muneris auctore venditare coeperunt.

Promethei furtum et poenae, et ingratus hominum animus, et quidquid ferax Graecorum ingenium in hoc argumentum congessit, amplam poetis et antiquitatis investigatoribus scribendi materiam suppeditaverunt [3].

(1) Hym. Hom. XX. *Ad Vulcan.*— (2) V. Etym. ap. Pott, *Zeitsch. f. vgl. Sprf.* VI, p. 100 *sqq.* — (3) Hes. *Theog.* 521-616. *Op. et d.* 42 *sqq.* Æschyl. *Prometh.* Schol. Nic. *Ther.* 343. 347.

Hinc iam Prometheo ignis raptori nomen πυρφόρος inditum, quo necesse erat Vulcano simillimus efficeretur. Imo, ignis iste quem plerique sive ex Iovis penetralibus [1], sive ex Solis rota [2] ereptum volunt, interdum e Vulcani fornacibus communicatus [3] fingitur. At Prometheus si Vulcani ignem rapere potuerat, quidni et artem, praesertim iuvante Minerva, omnium artium magistra, quae Vulcani amica, Promethei adiutrix fuisse non semel refertur?

Vulcani ergo personam ita induit Prometheus ut non modo in Atticis lampadophoriis simul cum Minerva et Vulcano invocaretur [4], sed et, in Vulcani locum suffectus, cerebrum Iovis malleo aperuisse, vel Minervae stuprum tentasse diceretur [5]. Sublato igitur ex Atticorum poetarum, ut opinor, industria, inter Vulcanum Prometheumque discrimine, nihil magis obvium erat quam ut, quum Hesiodus feminam, alii genus hominum a Vulcano fabricatum narrarent, idem opus Prometheo adscriberetur. Atque id revera factum, quod ad feminae fabricam attinet, testatur Plotinus [6]; quod ad generis humani, multi, de quibus nunc agendum.

Iam liquide perspicitur qua fabularum colligatione Prometheus, postquam varias partes ad libitum poetarum suscepisset, tandem omnium consensu pro hominis plasmatore seu, ut graece dicitur, δημιουργῷ habitus sit. Et hoc insuper non omittendum, Promethei demiurgi inventores, ne a veterum placitis sua abhorrerent, non commisisse ut *primum* hominem ab illo efformatum dicerent, sed eo fidem suis commentis fecisse quod nihil nisi novum hominum genus, priore praeter Deucalionem exstincto, ab eo, Iovis iussu, reparatum assererent. Itaque non procul à Parnasso, in cuius

(1) Hesiod. *Op. et d.* 51. — (2) Serv. *Ecl.* VI, 42. Cf. Myth. lat. I, 1. II. 63. — (3) Plat. *Protag.* p. 321. — (4) Paus. I, 30, 2. Harp. λαμπάς. Schol. Soph. *Oed. Col.* 56. Hyg. *P. A.* — (5) Apollod. I, 3, 6. — (6) Plot. *Enn.* IV, 3, 14. Cf. Hyg. *Fab.* 220.

vertice Deucalionis arca, defluentibus undis, adhaesisse fertur, Promethei officinam ponebant; vulgoque creditum (risum teneatis amici!) duas lapides iuxta Panopeum eminentes, quum magnitudine, tum luteo colore et corporis odori non absimili nidore insignes, ex indurato limo, qui Prometheo humana corpora fingenti superfuisset, concretos esse [1].

Prometheum demiurgum primus, quantum scire possumus, celebravit Philemon, cuius apud Stobaeum hic legitur versus, (Προμηθεὺς) ὅν λέγουσ᾽ ἡμᾶς πλάσαι καὶ τἆλλα ζῷα [2], necnon et eius aequalis Menander, teste Luciano [3]. An aetate paulo superior Aristophanes, quum homines πλάσματα πηλοῦ [4] vocaret, idem significare voluerit, incertum, quippe qui materiem, non artificem indicet. Caeterum isti Theogoniae memores, praesertimque Minervae devotissimi poetae, ut qui suarum Athenarum patronam laudibus extollere certarent, Minervam Promethei adiutricem eiusque operis participem tradiderunt : dumque apud Hesiodum hoc solum Minervae munus fuerat ut feminam a Vulcano efformatam et vita, ut videtur, praeditam munditiis muliebribus ornaret, iam placuit corpus quidem hominis a Prometheo effictum esse, vitalem vero animam a Minerva traditam. Credo equidem hoc Minervae dono docile et doctrinae capax hominis ingenium innui. Nec me fugit a quibusdam eruditis viris Minervam pro aere poni creditam [5]; sed, fac eos hanc sententiam merito amplexatos esse, quid aurâ opus erat, quum vita igneae cuidam faculae saepius conferatur et Prometheus ob hoc ipsum hominis opifex habeatur quod coelestem ignem surripuerit? Itaque, de Minervae officio varie legitur. Fuerunt enim qui, quum vitae principium igneum esse, nec

(1) Paus. X, 4, 4. — (2) Stob. *Flor.* II, 27. — (3) Lucian. *Amor.* 43. — (4) Aristoph. *Aves*, 686. — (5) A. Maury, *Rel. de la Grèce ant.* I, p. 99.

tamen sine Minervae auxilio communicatum vellent, novum commentum excogitaverint, nempe Prometheum a Minerva ad sidera inter oras septemplicis clypei sublatum vitalem ignem adhibita ad rotam Solis facula deprompsisse [1].

Hominis fabricam poetarum aemuli artifices variis modis marmore exsculptam aut vasis depictam expresserunt.

Exstant adhuc non paucis sarcophagis insculpta simulacra quibus exstinctae vitae exordium in memoriam revocatur. Ibi videas modo animam sub passeris forma latentem a Minerva in corpore inclusam, mox e carcere evolantem : modo fictili corpori ardentem facem ab Amore admotam [2]. Alii Epimetheum Prometheo laboris socium fuisse volunt; si modo caelatas in vitreo cyatho nuper Coloniae reperto, cui et verbum ΑΝΘΡΩΠΟΓΟΝΙΑ inscribitur, figuras recte interpretemur; nam aliter Welckero placitum [3]. Apparet et in caelatis sardis Prometheus osseam corporis compagem manibus fingens, vel scalpro et malleo extundens [4].

An inde colligere liceat Prometheum aliquando pro unico et corporis et animae auctore habitum, disputari potest; attamen hanc opinionem, quam in locum Atticae fabulae nunquam subiisse mirarer, quibusdam poetarum locis comprobatam invenio. Namque vix adduci possum ut credam eos qui virtutum vitiorumque semina in homine a Prometheo insita esse voluerunt, tamen vitam et mentem, quae nos ad bene aut male agendum idoneos faciunt, a Minerva aut Iove aut Amore aut alio quovis deo homini datas arbitratos esse. Quid de Minerva Horatius :

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique

(1) Myth. lat. I, 1. II, 63. Serv. *Ecl.* VI, 42. — (2) *Annal. dell'Instit.* 1847. 306-326. — (3) *Bullett. dell'Instit.* 1860. 66-67. 158-160. — (4) *Bullett. dell'Institut.* 1835. p. 63. 1862. p 84.

Desectam et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro [1].

Quid Oppianus qui, dum hominum audaciam celebrare studet, humanum pectus non robore aut aere triplici, sed divino quodam adipe a Prometheo munitum refert, nisi forte Titanum ex sanguine genitos esse mortales propius fidem sit :

Ἀλλά τις ἀτρεκέως ἰκέλην μακάρεσσι γενέθλην,
ἀνθρώπους ἀνέφυσε, χερείονα δ'ὤπασεν ἀλκήν,
εἴτ' οὖν Ἰαπετοῖο γένος, πολυμῆτα Προμηθεύς,
ἀντωπὸν μακάρεσσι κάμε γένος, ὕδατι γαῖαν
ξυνώσας, κραδίην δὲ θεῶν ἔχρισεν ἀλοιφῇ
εἴτ' ἄρα καὶ λύθροιο θεοῤῥύτου ἐκγενόμεθα
Τιτήνων [2].....

Ideo, ut qui de poetico dramate obiter mentionem facit, id primae et praecipuae personae nomine indicat, de caeteris vero tacet, ita qui Promethei demiurgi vulgarem tantummodo notionem habebant unico hominis creatore contenti erant.

Addam insuper, ne quid Prometheo detraham, eum aeque pro animantium omnium creatore habitum. Quae opinio quum multis locis, tum maxime ab Achille Tatio exprimitur qui leonem inducit apud Prometheum querentem quod hoc naturae vitio suae virtuti desit ut galli cantum non reformidet [3].

Ergo, ab antiquissimis fabulis declinantes poetae genus humanum non e Terra editum, non divina prosapia ortum, sed a servo quodam deo efformatum fatebantur. Quantum platonica philosophia, quae hominem imperfectum et quadam naturali labe affectum docebat, huic superstitioni faverit, infra disputabimus.

(1) Hor. *Od.* I, 16, 13. — (2) Oppian. *Halieut.* 4-10. — (3) Achill. Tat. II, 21.

Nunc vero res admonet ne diutius inter placita poetarum immoremur, propositoque consentaneum videtur ut, paucis de auctoritate et fide quam supra memoratis de αὐτοχθονίᾳ commentis logographi conciliaverunt, praemissis, philosophorum scholas intremus.

PARS SECUNDA.

PLACITA LOGOGRAPHORUM.

Antequam ad recensendas philosophorum sententias accingamur, opportunum videtur breviter de logographorum operibus disserere qui poetarum commenta de priscis hominibus collegerunt et ἀκριτικῶς congesserunt, ut inde verisimiles quasdam veterum historias eruerent. Nam, quum poetarum placita mendacii notam prae se ferant, ut quibus laudi sit vera falsis miscere,

Primo ne medium, medio ne discrepet imum,

philosophorum vero sententiae non nisi in propria cuiusque schola fidem habuerint, periculum est ne fabulae quaedam, a poetis inventae, a philosophis etiam comprobatae, minoris quam aequum est aestimentur, nisi eas pro veris historiis habitas gravissimorumque virorum auctoritate commendatas ostenderimus. Quis existimet parvi momenti fuisse apud philosophos qui homines naturae satu editos assererent, vel Phoronei, vel Erechthei fabulas ab eruditis viris ad quamdam veri similitudinem redactas, aut iis fabulis parum auctoritatis

accessisse quod multi philosophi homines vi naturae sponte enasci posse arbitrati sint ? Aliquid igitur omisisse mihi viderer, si enarratis poetarum placitis, non lectoribus potestatem iudicandi facerem, quantum non modo apud imperitos sed etiam apud doctos ista valuerint.

Primos homines e terra editos esse logographi nunquam in dubium vocaverunt, indeque satis commode graecae gentis ceperunt exordia. Nam post Hecataeum Milesium qui res Graecorum a Deucalione repetebat, logographi redundantem fabularium historiarum copiam in tres partes descripserunt, nempe tria genera hominum graeco solo insedisse asserentes, primum quidem Pelasgum a Phoroneo seu Pelasgo patre, alterum Hellenicum a Deucalione Promethei filio, tertium vero Atticum ab Ogyge, vel Cecrope aut Erechtheo. Atqui ex his tribus generibus primum et tertium terrigenas auctores habent, alterum a Deucalione genitum tamen terrigenarum incremento auctum est.

Inter fabulas a logographis digestas Attica commenta ordine quidem temporum ultimum, hominum vero opinione et fide longe primum locum obtinuerunt, ita ut ideo maxime terrigenas revera extitisse creditum existimem, quod Athenienses se pro Attici soli filiis haberi voluerint.

Homeri quidem aetate, nihil Athenis obscurius : ideo nulla de Atticis terrigenis apud antiquos poetas inveniuntur, nisi quae de Erechtheo ex Homero excerpsimus [1]. Postea vero quam gens Ionica, hucusque prae caeteris ignobilis et aliis gentibus quum opibus tum armis impar, paulatim immutata fortuna principatum affectare coepit, Atheniensium superbiae molestum sane fuit, quod nullos celebratae virtutis avos iactare possent.

Ergo primo Achaeorum gloriam aemulari, suum Theseum,

(1) Hom. *Iliad.* II, 547.

Homero fere ignotum, Herculi consociantes; deinde quum suae gentis originem a Theseo ducere non possent, quippe qui XII vicos in communem societatem redegisse traderetur, quaerere quid demum suis maioribus laudi afferrent. Tum insignes se prae caeteris fore arbitrati, si ex antiquissima hominum stirpe orti ducerentur, iactare, suos maiores nunquam sedem mutavisse, sed, dum caeteri Graeci variis fortunae vicibus acti diversas terras peragravissent, ipsa virtute tutos patrio solo inde ab initio inhaesisse omnesque artes sponte vel auxilio deorum invenisse. Unde sequebatur Athenarum conditores terrigenas fuisse : neque Homeri auctoritas qui, ut iam supra notavimus, terrigenas prae filiis Deorum parvi aestimare videtur, Athenienses deterruit quin suos maiores ex Attico solo editos faterentur, ut quos a Minerva et Cerere educatos feritatis suspicione absolvere facile esset. Atheniensibus morem gesserunt primi historiarum scriptores, quanquam isti, non modo non Attica sed nec Ionica stirpe nati, fide magis quam patriae studio duci videntur. Herodotus Halicarnassensis narrat Athenienses, e Pelasgis oriundos, nunquam solum mutasse, nec per eum obstat quin Erechtheus terrigena credatur [1]. Secundum Herodotum, Hellanicus Mitylenaeus, quum Graecas fabulas pluribus voluminibus comprehenderet, Atticas peculiari opere quatuor librorum exposuit quod a Thucydide « ἡ Ἀττικὴ συγγραφὴ » nominatur [2], ab aliis persaepe Atthidis vel Atthidum titulo designatum. Hic primum Atticae gentis auctorem Ogygem fuisse terrigenam memorat, quo nemo antiquior esse possit, quippe qui solus incolumis ex diluvio emersisse feratur. Notabit qui volet quam Oceano, rerum omnium fonti, similis nomine sit iste Ogyges. Praeoccupata igitur antiquitatis laude, Attici Cecropem terrigenam CLXXX annos post Ogygem editum

(1) Herod. I, 56. VIII, 55. — (2) Thucyd. I, 97.

esse narrabant, eumque, nescio an ad fidem rei conciliandam, serpentis inferiori corporis parte similem (διφυῆ). Imo Hellanicus, ne quis Ogygem commentitium esse putet, annos ab Ogyge primam usque Olympiadem computat, ad summam MXX annorum redigens [1].

Haec et similia quum ab omnibus Graecis pro genuina historia acciperentur, qua superbia, quo verborum tumore Athenienses exultasse existimes, qui, ut illam suae gentis propriam gloriam expressius declararent, propria Attici sermonis vocabula αὐτοχθονία, αὐτόχθων, ad Herodoti tempora, ut videtur, fabricati sint [2]! His blanditiis Pericles suos aculeos pensabat, hanc laudem civibus Thucydides, gravissimus quidem scriptor, vel concessit vel concedere visus est [3]. Quin et Plato ipse, quanquam de plane diverso creandi hominis modo non semel enucleate disserit, nonne Atticae terrae laudes in Menexene scripsit, quam ideo maxime celebrem gloriatur, quod ea hominem, eo tempore quo alibi terra nonnisi bruta animalia et plantas gigneret, produxerit [4]? Nonne rem novo argumento confirmare studet, quum asserit terram feminarum foecundissimam, haud secus ac puerperam uberum lacte, ita humanis pabulis, id est, frugibus, quas primum in Attica porrexerit, hominum matrem denuntiari [5]?

Quam diserte Isocrates Demosthenesque moerentem iam adversis rebus patriam antiquitatis et autochthoniae laude consolantur [6]! Hodiernos audire videor patricios quos, amisso pristinae dignitatis privilegio, tamen delectant avorum memoria natalisque soli nomen suo nomini additum.

Atthidum denique scriptores, ad emendandum aut repu-

(1) Euseb. *Praep. Ev.* X, 10. — (2) Herod. I, 171. IV, 147. IX, 73. — (3) Thucyd. I, 2. Cf. Aristoph. *Lysistr.* 1082. — (4) Plat. *Menexen.* 238.— (5) Cf. Demosth. *Epitaph.* 5. — (6) Isocr. *Panegyr.* Demosth. *De fals. leg.* 261. *In Neaer.* 74. *Epitaph.* 4.

diandum, si quid in Atticis fabulis contra fidem esse et mendacii suspicionem movere posse videretur, summam curam et subtile iudicium adhibuerunt, ita ut Atticae historia, temporum et locorum et stirpium definitione illustrata, iam inde ab initio continuum et credibilem contextum obtulerit. Eorum celeberrimos Clidemum, Phanodemum, Demonem, Androtionem, Philochorum, Istrum, Andronem, Melanthium nominare satis erit. Isti quomodo et quot annis post Cecropem Cranaus, Amphictyo, Erichthonius seu Erechtheus, quorum patres nusquam reperiri possent, e virorum feraci solo editi sint, docuerunt. Iam Atheniensium autochthoniam, tot eruditis viris comprobatam, deridendam nemo existimabat, si Carneadem illum excipias qui nihil certum esse pro certo habebat [1], vel Lucianum qui hoc a se intentatum doluisset [2].

Haec tot auctorum parta laboribus laus adeo innotuit, ut, quamvis plures aliunde terrigenas ortos esse poetae narrarent, tamen hanc fabulam ab Atheniensibus inventam esse nonnulli crederent. « Τὸ γὰρ γῆς παῖδα γενέσθαι ἄνθρωπον, inquit Himerius sophista, qui alibi Athenas statim post creatum hominem conditas esse docet, καὶ τὴν Ἀττικὴν ῥαγεῖσαν ὠδῖνι τοσοῦτον βλαστῆσαι βλάστημα, μῦθος ἐστίν, Ἀττικῆς χάριτος παίγνιον [3]. » Quod indiligenter scriptum quum e supra allatis fabulis, tum ex historicis quae modo subiciemus commentis demonstratur. Nam tantae gloriae non paucos aemulos Athenienses habuerunt. Iis iam temporibus, quum Athenae maxime florerent, Hellanicus autochthoniae laude Arcades, Thebanos Aeginetasque ornavit [4], qui, postquam armis Athenarum superbiam fregerunt, insolentius se maioresque suos extollere coeperunt. Post Leuctriacam pugnam, Arcades se solos αὐ-

(1) Cic. *Rep.* III, 15. — (2) Lucian. *Philops.* 3. — (3) Him. Soph. *Orat.* I, 9. II, 3.— (4) Harpocr. s. v. αὐτόχθονες.

τόχθονας esse praedicabant [1], nec recusat Demosthenes, quanquam plus vice simplici Athenienses quod soli ex omnibus autochthones sint laudavit, quin et Arcades huius gloriae participes agnoscat [2]. « Denique etiam vulgo creditum est, ut plerique genealogae auctores sunt, ait Censorinus, quarumdam gentium, quae ex adventicia stirpe non sint, principes terrigenas esse, ut in Attica et Arcadia Thessaliaque, eosque autochthonas vocitarunt [3]. »

Eo demum iactantiae ventum est, ut civitas quaeque se ab autochthone quodam conditam profiteretur. A Phliasiis male audivisset qui eorum auctorem Arantem Promethei aequalem atque Atticis autochthonibus Pelasgoque Arcade multo antiquiorem fuisse negasset, nec dubito quin multorum Graecorum invidiam contraxerit Ephorus, quod, Pindari memor, Barbaros autochthonas et Graecis quidem antiquiores dicere sit ausus [4].

Postremo, qui exterarum gentium historias scribere aggressi sunt, satis commode suam ignorantiam hoc effugio tegebant, nec alia de causa Diodorus Aethiopas vel Sicanos pro autochthonibus venditat. Imo, Pausanias narrat in Orontis alveo inventum a Romanis cadaver mirae magnitudinis, auctore Apolline Clario pro Oronte *Indo* habitum, indeque colligit primos homines e terra in India editos esse [5].

Sed ea hactenus. Iam hoc consecuti esse videmur, ut poetarum placita, credibili quodam ordine ab historiarum scriptoribus digesta magni momenti apud philosophos de origine generis humani meditantes esse potuisse ostenderemus : ad quae num attenderint philosophi, in sequenti disquisitionis parte, data occasione, videbimus.

(1) Xen. *Hellen.* VII, 1, 23. — (2) Demosth. *De falsa legat.* 261. — (3) Censorin. *D. d. n.* 4. — (4) Diod I, 9. — (5) Paus. VIII, 29, 4.

PARS TERTIA.

PLACITA PHILOSOPHORUM

Graecorum philosophorum scripta vel obiter evolventi hoc certe mirum videtur quod recens adhuc philosophia, antequam quae sunt ad vulgarem intelligentiam accommodata et sensibus percipi queunt explanaret, primo impetu difficillimas quaestiones expedire tentaverit. « Ab antiqua philo-
» sophia, inquit Tullius, usque ad Socratem qui Archelaum
» Anaxagorae discipulum audierat, numeri motusque trac-
» tabantur, et unde omnia orirentur quove reciderent : stu-
» dioseque ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus
» anquirebantur, et cuncta coelestia. Socrates autem primus
» philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit et
» in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus
» rebusque bonis et malis quaerere. [1]»

Quod etsi quamprimum insolens existimari possit, tamen, si accuratius attenderis, naturae maxime consentaneum invenies. Nam adulti ingenii est versare

. . . . . *quid ferre recusent*
Quid valeant humeri.....

imperitis nihil arduum. Praeterea, ut quisque doctissimus est,

(1) Cic. *Tuscul.* V, 4.

ita plurimum laboris in minoribus rebus impendit; indoctos multa fugiunt in quibus haerent acutiora ingenia. Ideo facile credam ob hoc maxime morum scientiam ante Socratem fere nullam fuisse, quod in homine nullam philosophandi materiem invenirent philosophi. Econtra difficillima quaequae maxime obvia sunt, sua mole omnium oculos in se convertunt, et eo promptius tentantur quo operosius superantur.

Primi igitur philosophi multa de rerum principiis et de variis elementorum temperamentis disserebant, adeo ut, nisi nobis eorum scripta invidisset aetas, plura de generis humani origine ex veteribus scholis quam ex Socraticis collegissemus. Utinam, ad tot operum reparandam iacturam, in manibus foret liber in quo Theophrastus omnia quae de *Physica* superiores philosophi docuerant retulerat! Sed et hunc nobis fata negant, nec in promptu est unde temporis malignitatem minus desideremus.

Seutentias philosophorum de origine generis humani in duas partes describemus, nempe eorum qui hominem solis Naturae viribus genitum putant, secundam vero eorum qui eum a divina providentia efformatum existimant.

CAPUT PRIMUM

ORIGO EX NATURA EFFICIENTE.

Inter eos qui corpus humanum Naturae foetum fortuito elementorum concursu compactum esse volunt, praeter Pythagoreos omnes veteres philosophi adnumerandi sunt, tum Ionici, quum Eleatici necnon et Atomistis sociatus Epicurus qui Socratis ethicam cum Democriti physica coniunxit. Quos omnes, quum de generandi corporis modo non multum inter se dissentiant, scholarum discrimine, non temporum ordine recensebimus.

§ I. *Placita Ionicorum.*

Ionici philosophi commode in duas sectas, prout quisque mundum ex una materie in varias formas immutata constare, vel ex diversis corporibus concretum esse docebat, distinguuntur.

I. *Dynamistae.* — Thaletis inter placitâ nulla fere ad rem nostram directe referri possunt. Nam quum ab eo aquam omnium rerum initium dictum esse audiamus, qua mutationum serie animalia ex aqua genita sibi finxerit penitus ignoramus, Attamen de animalium origine tantum abest ut nullam curam habuerit, ut praecipuum suae disciplinae argumentum ex eo desumpserit quod animalia e liquido semine oriantur [1]. Sed edax tempus nihil fere nisi Thaletis nomen reliquit.

(1) Plut. *Plac. phil.* I, 3. Cf. Aristt. *De Anim.* I, 2.

Anaximene Heraclitoque omissis, quorum alter in aere, alter in igne mundi principium posuit, necnon Hippone Megarico, qui Thaletis in verba iurasse videtur, praeterea Diogene Apolloniate, Anaxagorae aemulo, qui maxime in animantium natura ex aeris principio repetenda elaboravit [1], alteram adeamus sectam cui *physicae* nomen proprie congruit.

II. *Physici.* — Anaximander, Thaletis discipulus, de animantium et hominum generatione inaudita sane protulit. Narrabat enim prima animalia in humido germinasse, foliis acantho similibus involuta, postea, sensim consumpto humore arescentia tegumenta dissiluisse e quibus viva prodierint corpora [2]. Homines hoc modo generari non potuisse quum animadverteret, ut qui, diuturna infantiae imbecillitate laborantes, alienae opis per non paucos annos indiguissent, asserebat eos primum in humore ipso, unde facile cibus suppeditaretur, piscium forma praeditos vixisse, deinde, adulta aetate, quum iam satis virium ad se tuendum haberent eiectos terram occupasse [3]. « Anaximander Milesius, ait Censorinus, videri sibi ex aqua terraque calefactis exortos esse sive pisces seu piscium similia animalia, in his homines concrevisse, foetusque ad pubertatem intus retentos tunc demum, ruptis illis, viros mulieresque qui iam se alere possent, processisse [4]. » Haec mihi videtur fuisse Anaximandri sententia, ut hominem non ex alio animante genitum, quemadmodum inaccurate interpretatur Hippolytus, sed in piscibus, id est, sub piscium forma editum esse putet. At quomodo haec forma in humanam structuram immutata sit, quomodo homo vel pedes in undis acquirere potuerit, vel eis destitutus in littus prorepere et victum comparare, non

(1) Simpl. *Phys.* fol. 32. — (2) Plut. *Plac. ph.* V. 19. — (3) Plut. *Symp.* VIII, 8, 4. *Fragm.* VIII, 2. Hippol. *Ref. haer.* I, 6. — (4) Censorin. *De d. nat.* 4.

liquet. Sed audiamus Anaxagoram Ionicorum philosophorum doctrina longe principem.

Anaxagoram inter eos recenseri qui hominem propriis Naturae viribus, absque divino auxilio, creatum existimarent, mirabuntur fortasse qui notissimam Anaxagorae de materiei et *mentis* (νοῦς) discrimine opinionem memoria tenentes inde cum Diogene colligunt eum a divina *mente* fabricata et disposita omnia credidisse [1]. Sed litem perspicienti obvium est Anaxagoram, quum aeterna, tenuitate et numero infinita rerum semina esse statuisset, eademque inter se confusa et immota [2], alternum autem commixtionis et discretionis motum, quo omnia gignerentur et dissolverentur, non ab inerti materia peti posse intelligeret, *mentem* quamdam intellectu praeditam excogitavisse, quae motus initium faceret. Isti vero menti quam minimam operis partem in ordinando mundo tribuit; nam ab ea pauca tantummodo moventur; caetera, propagato impulsu, spontanea quadam περιχωρήσει motum ampliorem faciunt, et agitantur et secernuntur [3], ita ut iam ad mundi fabricam nihil mente inutilius videatur. Quod probe a Platone notatum invenio : « προϊὼν καὶ ἀναγιγνώσκων ὁρῶ ἄνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τά πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον, καί ἄλλα πολλὰ καὶ ἄτοπα [4]. » Eadem diversis verbis Aristoteles : « Ἀναξαγόρας τε γὰρ μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιίαν, καὶ ὅταν ἀπορήσῃ διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστί, τότε παρέλκει αὐτόν, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται τῶν γιγνομένων ἢ νοῦν [5]. » Eudemus, Aristotelis discipulus, cum magistro consentit : « Ἀναξαγόρας δὲ τὸν νοῦν ἐάσας, ὥς φησιν Εὔδημος, καὶ αὐτοματίζων τὰ πολλὰ συνίστησιν [6]. » Iam nobis hominem, quem nonnisi absoluto fere mundi opere

(1) Diog. L. II, 6. — (2) Aristt. *Phys.* III, 5. — (3) Simplic. *Phys.* fol. 33 *b.* 35 *a.* 67. — (4) Plat. *Phaedr.* p. 98. — (5) Aristt. *Met.* I, 4. — (6) Simpl. *Phys.* fol. 73 *b.*

editum esse patet, inter ea quae proprio motu efformata sunt adscribi posse facile quisque concedet. Audiamus ergo quid de generis humani origine docuerit Anaxagoras.

Ac primum monendum est Anaxagoram nullum discrimen inter hominem caeteraque animalia deprehendisse, nisi quod aptioribus ille membris utatur : « Ἀναξαγόρας μὲν οὖν φησι διὰ τὸ χεῖρας ἔχειν φρονιμώτατον εἶναι τῶν ζώων ἄνθρωπον [1]. » Imo, in plantis aeque ac in animalibus doloris et voluptatis sensum necnon et intellectum inesse profitebatur [2], ita ut animatae res, nempe plantarum et animantium (et hominum) genera, eamdem naturam, diverso tamen perfectionis gradu, habeant, penitus vero, utpote *mentis* participes, ab inaminatis rebus distinguantur [3]. Quae igitur de animantium vel plantarum generatione ab Anaxagora tradita sunt recte ad hominis originem conferantur.

Iam sequens occurrit apud Theophrastum locus : « Ἀναξαγόρας μὲν τὸν ἀέρα πάντων φάσκων ἔχειν σπέρματα καί ταῦτα συγκαταφερόμενα τῷ ὕδατι γεννᾶν τὰ φυτά [4]. » Aperta est sententia : aquam non pro fluviorum vel maris undis sed pro humido in genere vel terra humida poni nemo est qui non videat. Disciplinae consentaneum est ut iisdem principiis animalia exoriantur : « *Anaxagoras dogmatizavit facta animalia decidentibus e coelo in terram seminibus* [5]. » Terram inaccurate pro terra humida dici demonstrant tum Origenis philosophi verba : « (*Docet Anaxagoras*) ζῷα δὲ τὴν ἀρχὴν ἐν ὑγρῷ γενέσθαι, μετὰ ταῦτα δὲ ἐξ ἀλλήλων [6] » tum quae diligentius excerpsit Diogenes « ζῷα γενέσθαι ἐξ ὑγροῦ καὶ θερμοῦ καί γεώδους, ὕστερον δὲ ἐξ ἀλλήλων [7]. » Eo demum res redit ut Terra humida, con-

(1) Aristt. *De Part. Anim.* IV, 10. Cf. Plut. *De Frat. Am.* 2. *De Fortuna.* 3. — (2) Arist. *De Plant.* I, 1. Plut. *Q. Nat.* 1. — (3) Simpl. *Phys.* fol. 35 *a.* — (4) Theophr. *Hist. Plant.* III, 2. — (5) Iren. *Adv. haer.* I, 14, 2. — (6) Orig. Phil. ap. Hippol. *Ref. haer.* I, 8. — (7) Diog. Laert. II, 9.

cepto semine et iuvante Solis calore, plantarum et animalium formas edidisse dicatur. Quam opinionem an primus excogitaverit Anaxagoras vel potius ab antiquis poetis et paulo superiore Parmenide mutuatus sit, facile quisque iudicabit.

Sed, quare primis mundi temporibus terra gignendis animalibus habilis fuerit, quae nunc sterilis est et effoeta, rationem attulit Anaxagoras ex poetarum placitis minime depromptam. Terram enim non obliquo et inclinato, ut nunc est, sed transverso cardine libratam, radiisque Solis in perpendiculum decidentibus ictam, tum praecalido fervore exaestuasse docebat [1]; quod quum temere dictum tum acute excogitatum videtur. Postremo, pro diversa seminum tenuitate et excellentia diversos foetus edidisse terram existimabat, ita ut eo perfectior quaeque corporis forma evaserit quo celsiore ex loco eius semen sit delapsum. Colligitur enim, ni fallor, ex modo allatis sententiis, plantarum semina ex aere, animalium ex aethere seu coelo, id est, sublimiore mundi parte, decidisse.

Attamen, ne quid omittamus, dicendum est Anaxagoram aliquantulum operis in fabricandis vel plantis vel animalibus menti reliquisse; nam quum eo res animatas ab inanimatis differre affirmaret quod mentis illae participes, istae expertes sint, non poterat quin vitalem motum a mente peteret. Ideo illam causam, deficientibus aliis, invocat, mentemque ait extrinsecus supervenientem intus infundi « θύραθεν εἰσκρίνεσθαι τὸν νοῦν. [2] » Utrum in ipsis seminibus an in corpore fiat haec spiritus infusio iniudicatum relinquitur; attamen, quum semina per se vim genitalem habeant, qua sublata semina esse non possent, fatendum est Anaxagoram non cum Pythagoreis consentire qui corpus ab anima effictum volunt, sed

(1) Plut. *Plac. phil.* II, 8. — (2) Stob. *Ecl.* I. p. 790.

formas vitae capaces ex mera elementorum commixtione genitas et ab influxu mentis postea animatas docere. Quae mens quum nullam partem in generatione proprie dicta habeat, nil est quod ab aliis physicis φυσικώτατον [1] illum Anaxagoram seiungamus.

Archelaus, Anaxagorae discipulus, qui primus philosophiam Athenis professus est et *physicus* est appellatus, licet de causis cum magistro consentiat, tamen de mundi fabrica nova protulisse dicitur [2]. Ac primum, ut ad ea quae nobis tractanda sunt sine mora pergamus, menti, cuius partes adeo Anaxagoras imminuerat, nihil fere ultra concessit nisi ut esset, tradiditque eam quidem minime mundi creatricem esse, omnia vero a duobus causis generata, calido nempe et frigido [3]. Confitentem habemus philosophum; nec dubitabit quisquam quin eum isti sectae quae hominem Dei opus esse negat, merito adnumeraverimus.

Audiamus igitur quomodo, coalescentibus olim in summa humo calido et frigido, exorta sit cum aliis animantium generibus humana progenies : « Περὶ δὲ τῶν ζῴων φησὶν ὅτι θερμαινομένης τῆς γῆς τὸ πρῶτον ἐν τῷ κάτω μέρει, ὅπου τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἐμίσγετο, ἀνεφαίνετο τά τε ἄλλα ζῷα πολλὰ καὶ ἀνόμοια, πάντα τὴν αὐτὴν δίαιταν ἔχοντα, ἐκ τῆς ἰλύος τρεφόμενα· ἦν δὲ ὀλιγοχρόνια· ὕστερον δὲ αὐτοῖς καὶ ἐξ ἀλλήλων γένεσις ἀνέστη, καὶ διεκρίθησαν ἄνθρωποι ἀπὸ τῶν ἄλλων καὶ ἡγεμόνας καὶ νόμους καὶ τέχνας καὶ πόλεις καὶ τὰ ἄλλα συνέστησαν . » Prima igitur animalia, et ab iis indiscreti homines, Terrae, ceu matris uberibus infantes, adhaerebant, limoque ad lactis similitudinem eliquato vescebantur [5], sed propter imperfectae structurae debilitatem brevi absumebantur, donec elementis quadam cohaerendi consue-

(1) Sext. Emp. *Adv. Math.* VII, 90. — (2) Simplic. *Phys.* fol. 6 *b.* — (3) Stob. *Ecl.*p. 56. Diog. Laert. II, 16. — (4) Hippol. *Ref. Haer.* I, 9, — (5) Diog. Laert. II, 4. Cf. Dio Chrys. *Orat. Olymp.*

tudine inter se firmius copulatis, tandem e limo prodire et mutuo amore alia animantia procreare potuerunt.

Mentem tamen, qua ad mundi opificium nullo modo utitur, noster philosophus in animalibus, ne ea nusquam sit, collocat, indeque petit non vitae sed motus et sensus principium : « νοῦν δὲ λέγει πᾶσιν ἐμφύεσθαι ζῴοις ὁμοίως· χρῆσασθαι γὰρ ἕκαστον καὶ τῷ σώματι ἀναλόγως, τὸ μὲν βραδυτέρως, τὸ δὲ ταχυτέρως [1]. » Corporum et mentis societatem aptissime exprimeret qui animalia machinis conferret, mentem vero artifici qui haec omnia quamvis diversa organa, prout cuiusque structura patitur, simul movet.

Mens agitat molem et magno se corpore miscet [2].

In summam, Archelai disciplina a magistri placitis nonnisi eo differt quod aerea seu aetherea semina alter excogitavit, alter, nisi nimia locorum brevitate decipimur, sustulit.

§ II. *Placita Atomistarum.*

Iam incorporeae mentis splendor qui adolescentis mundi officinam ab Anaxagora Archelaoque descriptam, quanquam subobscuro lumine, illustrabat, ab Atomistis omnino restinguitur; rerumque semina caeca quadam Necessitate exagitantur et copulantur. Leucippus enim et Democritus, quorum nomina a veteribus scriptoribus semper consociata non disiungimus, quum *atomos*, id est, tenuissima quaedam et diversis figuris praedita corpuscula, vertiginis motu per inane iactata, suo concursu omnibus rebus originem et formam dedisse censerent, primam motus causam vel omnino non indagavisse vel fato cuidam seu rationis compoti Necessitati tribuisse videntur [3].

(1) Hippol. *Ref. Haer.* I, 9. — (2) Virg. *Æn.* VI, 727. — (3) Cic. *Fin.* I, 6. Simpl. *Phys.* fol. 73 *b.* Stob. *Ecl. phys.* p. 160. Sext. Emp. *Adv. M.* IX, 113. Diog. L. IX, 45.

De siderum et terrae origine, ne a proposito declinemus, tacendum : notandum tamen motus celeritate calorem et ignem gigni, ideoque sidera, humida primum et frigida, ut quae atomorum impactione formata post conflictum remissius moverentur, deinde orbis circumactione rapta eo vehementius exarsisse quo quodque eorum ab extremo orbis ambitu propiorem, a terra remotiorem locum obtinet [1]. Inde terram, quae in media mundi parte immota locatur, et alieno tantum calore tepescere potest, principio lutulentam et humore circumfusam fuisse facile perspicitur. Ex hac uligine primi emerserunt homines : fertur enim « Democrito Abderitae ex aqua limoque primum visum esse homines procreatos [2]. » Quae fuerint tam praeclari operis initia, unde diversa animantium et hominum genera si quis scire velit, reddat prius deperditos Democriti libellos *De causis animantium* (Αἰτίαι περὶ ζῴων. βιβλ. γ′) *De humana natura seu carne* (περὶ ἀνθρώπου φύσιος ἢ περὶ σαρκὸς) [3]. De motus et vitae causa seu anima, quae idem est atque intellectus, hanc fuisse Leucippi et Democriti opinionem Aristoteles tradit, nempe animam igneam esse, ignem autem rotundis atomis constare, ut quae propter figurae laevitatem facilius et moveantur et moveant [4]. Iam obvium est terram limosam nonnisi suscepto calore animantia et homines edere potuisse, et hac via ad istam calefacti luti toties a poetis et philosophia celebratam mixturam revertimur, quae timeo ne, argumenti vitio aut scribentis culpa, taedium lectori afferat.

Velit nolit Epicurus, eum cum Democrito sociamus : « quid enim in physicis Epicuri non a Democrito [5]? » Magistrum agnoscat superbus et maledicus philosophus qui, quum Platonis doctrinam a Pamphilo, Democriti a Nausi-

(1) Hipp. *Ref. Haer.* I, 13. — (2) Censorin. *D. d. nat.* 4. — (3) Diog. L IX, 46. — (4) Aristt. *De Anim.* I, 2. — (5) Cic. *Nat. Deor.* I, 26.

phane accepisset, se sponte philosophari coepisse et nullum habuisse magistrum gloriabatur [1]. Quae enim de mundi fabrica et animantium generatione tradidit, ea si e Democrito deprompta fatetur, mutuatus est, si negat, surripuit.

Ab atomis, quae ex aeterno tempore moventur, et inani, quo sublato nullus motui locus esset, proficiscitur, Democritum sane secutus, nisi quod iste atomos in gyrum ita ferri ut concursionibus inter se cohaererent, censebat [2], Epicurus vero deorsum suo pondere ad lineam ruere, addito quodam clinamine quo nihil excogitari potest absurdius. Nam, dum sapientem a divini numinis metu liberare noster cogitat, Necessitatis vero servum esse non vult [3], Deum et Necessitatem aeque tollens, nullam rerum causam nisi Casum, id est, nomen inane, non tollit.

Sed de Epicuri cosmogonia viderint alii, nos ad propositum festinemus.

Terra igitur utcumque constituta, quum humore et calore perfusa avidis coeundi atomis intumesceret, plantas primum, deinde animalium genera, postremo hominem genuit. Notissima quae ad perpetuam rei memoriam pius Epicuri cultor Lucretius scripsit carmina afferre liceat :

Principio genus herbarum viridemque nitorem
Terra dedit circum colleis; camposque per omneis
Florida fulserunt viridanti prata colore :
Arboribusque datum est varieis exinde per auras
Crescundi magnum immissis certamen habenis.
Ut pluma atque pilei primum setaeque creantur
Quadrupedum membris et corpore pennipotentum,
Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
Sustulit [4].

(1) Cic. *ibid.* Diog. L. X, 7, 14. Sext. Emp. *Adv. Math.* I, 3. — (2) Cic. *Fin.* I, 6. — (3) Diog. Laert. X, 133-134 — (4) Lucret. V, 781 *sqq.*

Tum animalia e foecundo Terrae sinu exoriuntur :

Principio genus alituum variaeque volucres
Ova relinquebant, exclusae tempore verno ;
Folliculos ut nunc tereteis aestate cicadae
Linquunt sponte sua, victum vitamque petenteis.
. . . . . (terra) animans prope certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim
Aeriasque simul volucres variantibu' formis [1].

Hominem demum, animantium perfectissimum, Terra parit et materna sollicitudine fovet :

Tum tibi terra dedit primum mortalia saecla :
Multus enim calor atque humor superabat in arvis.
Hoc, ubi quaeque loci regio opportuna dabatur,
Crescebant uterei terrae radicibus aptei
Quos ubi tempore maturo patefecerat aetas
Infantum, fugiens humorem aurasque petissens
Convortebat ibi natura foramina terrae
Et sucum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis ; sic ut nunc foemina quaeque
Quom peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas convortitur ille alimenti.
Terra cibum pucreis, vestem vapor, herba cubile
Praebebat, multa et molli lanugine abundans [2].

Eadem Censorinus : « Epicurus credidit limo calfacto uteros nescio quos radicibus terrae cohaerentes primum increvisse et infantibus ex se editis ingenitum lactis humorem natura ministrante praebuisse, quos ita educatos et adultos genus hominum propagasse [3]. »

Epicuream disciplinam redolent quae aliena fide de animantium et hominum origine tradit Diodorus Siculus, qui quanquam non uni magistro addictus communem quamdam physicorum opinionem retulit, tamen quia procul du-

(1) Lucret. V, 799-823. — (2) Lucret. V, 803-815. — (3) Censorin. *D. d. n.* 4.

bio Epicuri omnium celeberrimi in primis meminit, hic locum latino sermone obtinebit : « (Terram ferunt) primum quidem quum ignis solis circumfusus eam collustrasset concrevisse : deinde, quum propterea quod concaluerat, extremae eius orae veluti fermentarentur, multis locis humida quaedam intumuisse, et in eis putrores quosdam tenuibus membranis circumdatos exstitisse. Quod in paludibus et in stagnantibus locis etiam nunc fieri cernere licet quum, ea loci regione frigida facta, aer repente exarserit, neque sensim fuerit immutatus. Humida autem illa eo, quo diximus, modo calore animata, noctu quidem ex nebula superne cadente cibum cepisse : interdiu autem ab aestu solidata esse. Postremo ex iis, quae in uteris terrae inolevissent, iustum incrementum consecutis, membranisque perustis ac perfractis, exstitisse atque exortas esse omnis generis animalium formas. Horum autem ea quidem, quae plurimum caloris nactae fuissent, ad superna loca abiisse, volatilia facta ; ea autem quae terrenam retinuissent soliditatem, in reptilium et aliorum terrestrium ordine esse numerata, quae vero naturam humidam maxime haberent, ad locum eiusdem generis concurrisse, natatilia nominata [1]. »

Hominem eodem modo generatum esse innuit Diodorus. Quid ergo? viventis corporis adolescentem formam videmus; vitae causa latet. Quam a luto vel calore peti posse ne Epicurus quidem credidit : docet enim hominem, ut caetera animalia omittam, ideo moveri et sensu praeditum esse, quod animam habeat. Sed cave ne istam animam incorpoream esse et extra atomorum congeriem petitam existimes ; haec est enim corpus subtilissimum, id est, laevibus et rotundis atomis commixtam eisque diversis, nempe igne, aere, spiritu et quadam innominata materie quae sensus compos

(1) Diod. I, 7.

esse fertur [1]. Quae mixtura utrum in uteris fiat, an e superiore mundi delapsa, stimulos terrae admoveat, ceu ilicis in cortice vermiculus, frustra quaero : coelestem tamen animarum originem Epicuro magis placuisse credendum, si modo magistri sententiam vere interpretatus est Lucretius :

Denique coelesti sumus omnes semine oriundi :
Omnibus ille idem pater est ; unde alma liquenteis
Humoris guttas mater quum terra recepit
Feta parit nitidas fruges, arbustaque laeta
Et genus humanum [2].....

Verba poetae arripiamus quibus disciplinae summam complectitur : nonne Epicurus et physici omnes (quibuscum si conferatur, iste nihil fere novum protulit), cum veteribus poetis, quibus omnia ex Coeli et Terrae connubio creata esse placebat, mire consentiunt ?

Quid obstet quin nunc eadem ubertate Terra gaudeat si quaeras, Epicurum Anaxagorae immemorem

Boeotum crasso iurares in aere natum.

Nil enim respondet homo acutus, nisi Terram iam consenuisse, et anus instar, pariendi finem fecisse :

Jamque adeo fracta est aetas, effoetaque tellus
Vix animalia parva creat, quae cuncta creavit
Saecla deditque ferarum ingentia corpora partu.
Sed quia finem aliquam pariundi debet habere
Destitit, ut mulier, spati defessa vetusto [3].

Iam omnem tenemus Epicuri de hominis origine doctrinam : Eleaticis nunc aurem praebeamus.

(1) Diog. Laert. X, 66. Stob. *Ecl. phys.* p. 798. —(2) Lucret. II, 991. *sqq.* — (3) Lucr. II, 1151-53. V, 824-25.

§ III. *Placita Eleaticorum.*

Eleaticos, qui omnia Numine plena esse putabant, num eis adnumerarem qui hominibus ortum et principium a Natura tributum esse profitentur, diu me dubitasse fateor, et postquam in Providentiae propugnatorum societatem recepissem, re iterum perspecta, tum demum cum physicis coniunxisse. Nam Deum et unum et aeternum esse dum praedicant, si quid tumidis subsit verbis perscrutaris, invenies Deum istum nihil esse nisi rerum summam quam alii Mundum vel Naturam vocant. Deo enim incorpoream naturam ab Eleaticis tribui (ἀσώματος ὁ Θεὸς) quum Clemens Alexandrinus temere asserat [1], eum carmina quibus Xenophanes humanam figuram Deo abnegat prave interpretatum esse ex Aristotele apparet, qui Xenophanis Deum globosum esse docet [2]. Quo posito, parum interest, mea quidem sententia, postquam rerum generationem, adhibitis physicorum argumentis, explicaveris, utrum vim genitalem ab istiusmodi Deo an a Natura communicatam dicas. Propterea, Xenophanem inter physicam et de Uno doctrinam incertum fluctuasse Timo Sillographus haud immerito existimabat [3].

Non me fugit eadem in Stoicos obici, et ideo me reprehendi posse quod eos ab Eleaticis dissociaverim; sed nolui ipsis Stoicis adversari qui, etsi quid sit Deus plane nesciant, physicos tamen impugnant et omnium rerum effectricem esse Providentiam mordicus tenent.

Fertur Xenophanes Colophonius, Eleaticae scholae conditor, quum Syracusis et in insula Paro et Melita piscium vestigia et conchas in saxis impressa reperisset, reique causam

(1) Clem. *Strom.* V, p. 601. — (2) Aristt. *De Xenoph. Zen. et Gorg.* 3 — (3) Sext. Emp. *Hyp. Pyrrh.* I, 224.

afferre vellet, inde quamdam de animantium generatione doctrinam excogitavisse. Terram enim alternis vicibus e mari emergentem et in aquis rursus desidentem animantia contrario motu et gignere et exstinguere docebat [1]. Tum vero fieri generatio videtur quum diluta terra, exsudante paulatim humore, ad limi crassitudinem solidatur.

Ideo recte a terra et aqua vitae petit exordium Xenophanes :

> Γῆ καὶ ὕδωρ πάνθ' ὅσσα γίνονται ἠδὲ φύονται·
> πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα [2].

Eodem redit quod alii eum omnia e terra procreasse tradunt [3] Terram autem non sine caloris adiumento animantia peperisse quum ex his quae diximus legitime colligitur, tum apertius e Parmenidis, Xenophanis discipuli, placitis comprobatur.

Parmenides enim, quum similia a similibus percipi doceret, non poterat in corpore tot elementa quot sensuum genera non distinguere. Atqui, sensuum summam quatuor notionibus se complecti posse ratus, nempe aridi et humidi, calidi et frigidi, e totidem elementorum commixtione corpus ortum esse existimavit. Lutum igitur e quo enatos esse homines tradit [4], recte pro terrae et aquae, ignis et frigoris mixtura accipiemus.

Vitae principium non e spiritu vel subtili quadam anima petit Parmenides ; nulla enim mundi pars, quantulacumque est, vita, imo sensu et intellectu caret [5] : corporis igitur nostri compages efficit non ut vivamus et sentiamus, sed ut humano more sentiamus : quae enim corporis pars est

(1) Hippol. *Ref. haer.* I, 14. — (2) Simpl. *Phys.* fol. 41 *a.* Sext. Emp. *Adv. Math.* IX, 361. — (3) Stob. *Ecl.* I, 294. Cf. Sext. Emp. X, 313. — (4) Diog. Laert. IX, 22. — (5) Theophr. *De Sens.* 4.

maxima, haec unicuique proprius intellectus est :

> Ὡς γὰρ ἕκαστος ἔχει κρᾶσιν μελέων πολυκάμπτων
> Τὼς νόος ἀνθρώποισι παρέστηκεν· τὸ γὰρ αὐτὸ
> ἔστιν ὅπερ φρονέει μελέων φύσις ἀνθρώποισιν
> καὶ πᾶσιν καὶ παντί· τὸ γὰρ πλέον ἐστὶ νόημα [1].

Ideo ne cadaver quidem sensu orbatum putes : nam, licet propter ignis discessionem, iam non calorem et sonum percipiat, habet tamen eorum quae igni contraria sunt, frigoris scilicet et silentii, notionem [2]. Ex hoc loco manifestum est, quia ignis iactura est quod mortem vocamus, ignem vitae humanae causam et rectorem esse

Praeterea, primus omnium, quantum mihi compertum est, Parmenides causam cur mares et feminas terra ediderit indagavit, quam ex diverso ignis et frigoris temperamento eruisse sibi visus est, sequenti, ut videtur, ratiocinatione usus. Mulierum corpus multo sanguine redundare, quum aliis indiciis, tum maxime menstrua purgatione demonstratur [3] : atqui, si vitalem calorem sanguini inesse concedas, quod, comperta exsanguium membrorum refrigeratione concedas oportet, inde sequitur femineum corpus virili calidius esse ; quo probe stabilito, verisimillimum est id aliquando e terra acriore aestu tepefacta concrevisse. Ideo mulieres in meridianis plagis, ubi sol maxime terram radiis fovet, editas esse existimabat, viros vero septemtrionalibus [4], quam opinionem in contrarium versam suam fecit Empedocles.

Ac ne diutius inter Eleaticos immoremur, facta Zenonis mentione qui, quum omnia e calido et frigido arido et humido gigni diceret, hominum genus e Terra editum esse expresse professus est [5], omissoque Melisso Samio qui, etsi

(1) Parmen. ap. Aristt. *Met.* III, 5. — (2) Theophr. *De Sens.* 4. — (3) Aristt. *Part. anim.* II, 2. *Gen. anim.* IV, 1. — (4) Plut. *Plac. phil.* V, 7. Galen. 32. — (5) Diog. Laert. IX, 29.

nihil nisi Unum esse pro certo haberet, tamen vulgari physica usus, ignem et aquam pro rerum principiis venditabat [1], statim Empedocli operam demus.

Empedoclem, qui ipse deus fieri voluit, quanquam multum abêst quin pro deorum contemptore habeam, tamen inter physicos merito retulisse mihi videor. Nam, de natura disserens, ita physicorum disciplinae nomina deorum remiscet, ut istos deos nihil aliud esse quam ipsa quorum concretione et dissipatione omnia gignantur et intereant elementa plane appareat. Iupiter pro igne ponitur, pro aere Iuno; Ditis et Nestidis sub nomine terra et aqua latent [2]. Quis putet tantis laudibus a Lucretio [3] cumulatum fuisse philosophum qui exosis diis mundi fabricam tribuisset?

Binas praeterea mixtionis et discretionis causas, seu altera Amor, Amicitia, Harmonia, Venus, Dilectio, Gaudium, altera vero Discordia, Ira, Bellum, Mars vocitetur, num diis similiores esse dicemus, quas qui tropicis nominibus exuere velit, alternas rerum vices, vel, ut ipse notavit Empedocles, binas unius Necessitatis formas proprie nominabit? Caeterum litis finem faciant versiculi quibus Empedocles deos ex Amore et Discordia aeque ac homines et pisces et aves et arbores generatos esse asserit :

Ἐξ ὧν πάνθ'ὅσα τ'ἦν ὅσα τ'ἔσθ'ὅσα τ' ἔσται ὀπίσσω,
δένδρεά τ'ἐβλάστησε καὶ ἀνέρες ἠδὲ γυναῖκες,
θῆρές τ'οἰωνοί τε καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς,
καί τε θεοὶ δολιχαίωνες [4]...

Patiatur ergo superbum Empedoclis numen se non uni sectae addici, sed medio quodam Parmenidem inter et Anaxagoram loco reponi, ita ut utrique proximus, neutrius tamen in verba iurasse videatur.

(1) Io. Philopon. *In Aristt. Phys.* B. p. 3 *b*. — (2) Plut. *Plac. phil.* I, 30. — (3) Lucret. I. 716 *sqq*. — (4) Emped. ap. Aristt. *Met.* I, 4.

Nunc quid de hominum generatione Sicelidi Musae placuerit audiamus.

Principio, rerum indiscreta semina, vi Amoris conglobata, Sphaeram quiete gaudentem efficiebant, quae postea, ingruente Discordia, moveri et intimo tumultu turbari coepit. Ex hoc Amoris et Discordiae conflictu, quo alter modo, modo altera praevalebat, dum ista diversas mundi partes secernit, ille vero discretas confirmare et stabilire conatur, efformata est quae nunc conspicitur orbis facies. Tum terra multo humore permixta, deinde circumactu cingentis coeli compressa et condensata, licet nondum instauratae essent solis conversione dierum et noctium vicissitudines [1], postquam propter vim caloris salsam maris lympham exsudavit, rudiora animantia, id est, plantas edidit. Solis postea radiis magis ac magis calefacta primo disiecta et enormia membra, mox debiles et simulacrorum similes figuras, integras deinde formas utroque sexu praeditas, postremo mares et foeminas tentabunda parere Terra coepit [2].

« Empedocles — tale quiddam confirmat, primo membra singula e terra quasi praegnante passim edita, deinde coisse et effecisse solidi hominis materiam igni simul et humori permixtam : caetera quid necesse est persequi quae non capiant similitudinem veritatis [3] ». Quae grammaticus referre fastidit ex ipso — philosopho dicam an poeta? — accipiamus. Membrorum portentosam segetem quum arva proferrent :

ᾗ πολλαὶ μὲν κόρσαι ἀναύχενες ἐβλάστησαν,
γυμνοὶ δ'ἐπλάζοντο βραχίονες εὔνιδες ὤμων,
ὄμματά τ'οἶ'ἐπλανᾶτο πενητεύοντα μετώπων [4].

Dein, Amore praevalente, ista temere coeuntia membra

(1) Plut. *Plac. phil.* V, 26. — (2) Plut. *ibid.* V, 19. — (3) Censorin. *De d. n.* 4. — (4) Simpl. *De Coelo.* p. 512.

diversas efformant figuras quae, quanquam serius ociusve, quum incompositae et partium repugnantia caducae essent, interiere, aliquam tamen sui memoriam reliquerunt. Quis enim Centaurorum, et Chimaerae, aliorumque monstrorum nomina non novit?

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μεῖζον ἐμίσγετο δαίμονι δαίμων
ταῦτα τε συμπίπτεσκον ὅπῃ συνέκυρσεν ἕκαστα,
ἄλλα τε πρὸς τοῖς πολλὰ διηνεκῆ ἐξεγένοντο [1].
πολλὰ μὲν ἀμφιπρόσωπα καὶ ἀμφίστερν᾽ ἐφύοντο,
βουγενῆ ἀνδρόπρωρα. τὰ δ'ἔμπαλιν ἐξανέτελλον,
ἀνδροφυῆ βούκρανα, μεμιγμένα τῇ μὲν ἀπ'ἀνδρῶν
τῇ δὲ γυναικοφυῆ, διεροῖς ἠσκημένα γυίοις [2].

Haec, Epicuro probata, latine vertit Lucretius, cuius hic verba afferam:

Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conata est, mira facie membrisque coorta:
Androgynem inter utras nec utramque, utrimque remotum.
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim,
Muta sine ore etiam, sine vultu caeca reperta;
Vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu
Nec facere ut possent quidquam, nec cedere quoquam
Nec vitare malum, nec sumere quod volet usus [3].

Tertio satu exortae sunt formae integrae (οὐλοφυεῖς), id est, quae utrumque genus complexae, nullius sexus compotes essent:

Οὐλοφυεῖς μὲν πρῶτα τύποι χθονὸς ἐξανέτελλον
ἀμφοτέρων ὕδατός τε καὶ οὔδεος αἶσαν ἔχοντες.
Τοὺς μὲν πῦρ ἀνέπεμπ'ἐθέλον πρὸς ὁμοῖον ἱκέσθαι
οὔτε τί πω μελέων ἐρατὸν δέμας ἐμφαίνοντας;
οὔτ'ἐνοπὴν οὔτ'αὖ ἐπιχώριον ἀνδράσι γυῖον [4].

Has formas quum bifariam divisisset aliquantisper convalescens, ut opinor, Discordia, quae calidior esset pars, virilem

(1) Simpl. *ibid.* — (2) Ælian. *H. A.* XVI, 29. — (3) Lucret. V, 835 *sqq.* — (4) Simpl. *Phys.* f. 86 *b.*

naturam obtinuit, femineam pars frigidior : inde in perpetuum discreti vir feminaque vitam seorsum degere coeperunt, quos iterum iungere conatur Amor :

> Νῦν δ'ἄγ' ὅπως ἀνδρῶντε πολυκλαύτων τε γυναικῶν
> ἐννυχιους ὅρπηκας ἀνήγαγε κρινόμενον πῦρ
> τῶνδε κλύ.....
> ἀλλὰ διέσπασται μελέων φύσις, ἡ μὲν ἐν ἀνδρὸς
> ἡ δὲ γυναικὸς ἐν.....
> τοὺς δὲ τε καὶ πόθος εἷλε δι 'ὄψιος ἀμμιχθέντας.

Ita perfectiora in dies naturae opera evaserunt (naturam invito Empedocle, pro rerum commixtione et discretione, commoditatis causa, ponimus) ita ut priora quaeque posterioribus rudiora essent. Quam rei causam Empedocles, physicae disciplinae peritissimus, attulerit, nescio; quam vero, utpote suae doctrinae consentaneam, afferre debuerit, in promptu esse existimo. Haec enim ab Empedocle tradita refert Plutarchus, nempe « quo tempore humanum genus e terra est enatum, propter tarditatem motus solis, tantam fuisse unius diei longitudinem quanta nunc est decem mensium : progressu temporis eumdem ad quantitatem septem mensium contractum fuisse : itaque et decimo mense et septimo editos foetus vitales esse, natura mundi hoc meditata, ut in una die, qua nocte satus sit, infans augescat [1] ».

Plutarcho grates agemus qui eiusmodi fragmentum servavit ex quo tota Empedocleae de animantium generatione doctrinae comprehensio perspici possit. Etenim, si corpora animantium ab igne terreno, dum vi Amoris cum igne coelesti sese commiscere cupiens sursum tendit, e visceribus terrae elicita esse meminerimus,

> τοὺς μὲν πῦρ ἀνέπεμπ' ἐθέλον πρὸς ὁμοῖον ἱκέσθαι,

intelligemus profecto quare, quaeque vivunt omnia, ne-

(1) Plut. *Plac. phil.* V. 18.

cesse est unius diei spatio concreverint. Quippe, nocte diem interrumpente, sol ad inferiora mundi conversus terrenum ignem vel non omnino vel deorsum ad se trahit, unde accidat oportet ut, quae inchoata tantum et imperfecta creatorem ignem nondum absolutis visceribus inclusum retinere nequeant, eius discessu ea dissolvantur et intereant.

His praemissis, ad explicandum animantium ortum nos conferamus. Quae lento incremento per plures annos, imo per multa saecula sensim grandescunt, ea mundi aetate edita esse verisimile est qua diffusus ubique calor nusquam multus nusquam nullus erat, coelumque vel immotum manebat, vel ita lente movebatur, ut nulla fieret diei et noctis discretio. Plantas itaque Empedocles antequam sol circa terram moveri coeperit satas esse existimabat, inter quas procul dubio longaevis arboribus in primis attendit. Deinde, quum Amoris et Discordiae contentione coelestis ignis in siderum et solis formam conglobatus lentissimo sed sensim citatiore motu, terra stante, circumagi coepit, tum iis terrae locis plurimus abundabat calor, quae suis radiis proximus sol illustrabat. Quare, ut cuiusque diei longitudo erat, primo maxima, quae nunc in matris utero post semen conceptum diu crescunt, deinde minora, quae ad partus maturitatem ocius perveniunt, e terra prorepere animantia, inter quae homines eo temporis spatio enatos scimus quo diei curriculum e decem mensium quantitate ad septem mensium breviorem mensuram contractum est. Post homines ea edita sunt animantia quae citra septem menses post conceptum semen nascuntur. Ea, ut numero plurima, ita plerumque minore corporis habitu, videlicet quia solis rapidior conversio, dierum aestus noctium frigore saepius temperans, et terreni ignis impetum et procreandi tempus simul minuebat. Inde legitime sequitur ea quae unius diei quale nunc est spatio generantur, etiam nunc e terra aliquando prodire

posse, quocum mire congruit quod minusculas bestiolas, apes videlicet aut cicadas, sponte nasci veteres crediderint [1].

Haec aut similia vix dubito quin Empedocles de generationis modo et ratione docuerit : eius vero de elementorum, qua diversae corporum partes efformatae sint, commixtione, placita non iam coniectura assequimur, sed a pluribus scriptoribus tradita habemus. Nam quum totum corpus, veterum quidem sententia, ossibus et carne contineatur, scimus Empedoclem utriusque partis materiam subtiliter dispexisse, ita ut carnem aequipartita quatuor elementorum mixtura, ossa vero e quatuor igneis, duobus terreis, additis ex aqua et aere singulis portionibus, constare existimaverit [2]. Corporis autem naturam cognoscere eo maxime sua interesse censebat, quod ipsam commixtionis rationem animam esse statuebat [3]. Nam postquam, Parmenidem secutus, similia a similibus percipi, ideoque nos, quae externa sunt, similium partium communione cognoscere asseruit,

γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ'ὕδωρ,
αἰθέρι δ'αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον
στοργῇ δὲ Στοργήν, Νεῖκος δέ τε νείκεϊ λυγρῷ [4].

idem esse sensum et cogitationem et cuique pro corporis mutatione mentem immutari innuit, unde manifestum est eum non modo non incorpoream sed ne a corpore quidem discretam et proprii motus capacem animam credidisse.

Hoc Empedocleae disciplinae consectarium quam male cum placitis conveniat quae idem Empedocles, in carmine quod, utique vitae caste et sancte agendae institutio, Καθαρμοὶ inscriptum fertur, de animarum lapsu et migratione, Pythagoreorum praeceptis accommodata exposuerat, non is sum

(1) Lucret, V, 801. Cf. Virg. *Georg.* IV, 555. — (2) Aristt. *De An.* I. 5, Simpl. *ibid.* Plut. *Plac. phil.* V, 22. — (3) Aristt. *De An.* I, 4. — (4) Aristt. *De An.* I, 2.

qui nolim agnoscere : sed quum eum e pluribus scholis suam doctrinam comparasse constet, quid miremur quod, in physica Ionicos et Eleaticos pone secutus, in ethica Pythagora magistro usus sit? Qui si ideo cum semetipso dissentire videatur, eum vel consulto vel imprudenter inconstantem fuisse quam errore immunem facilius ego concedam.

Philosophorum igitur qui mundi compagem ex elementorum motu et commixtione sponte exortam existimaverunt agmen claudant Sophistae qui, teste Platone [1], (quem enim significamus locum ad Sophistas pertinere doctissimi viri existimant) quum omnia, praeterita et praesentia et futura, vel naturam auctorem habere, vel fortunam vel artem docerent, mundum et plantas et animalia a natura et fortuna, absque ullo vel mentis vel dei cujusdam vel artis auxilio fabricata esse profitebantur : iamque aliam generationis causam, divinam nempe Providentiam, cum Stoicis et Pythagoreis et Academia necnon et Lycaeo inducamus.

(1) Plat. *Leg.* p. 888.

CAPUT II.

DE PROVIDENTIA CREATRICE.

§ I. *Placita Stoicorum.*

De Stoicis primum, ut qui a physicis propius abesse videantur, dicemus : qui quum se Socraticos haberi velint et, Socratico more, hoc munus esse philosophiae dicant, ut de virtutibus et vitiis quaerat et ad bene vivendum prosit, satis inepte Socratis de providentia doctrinam, excerptis quorumdam physicorum placitis, obscuraverunt; eo inprimis crassum ingenium denuntiantes, quod se contraria et repugnantia dicere non animadverterint. Nam si quis ideo Deum creatorem esse dicat, quia ubique mira quaedam apparet consensio naturae, probabili sane utitur argumento; sin autem prius Deum istum nihil esse monuerit, auditorem irridere videtur.

Atqui, hoc modo Stoici a Socratis institutis descivere. Socrates enim, quum impiam et irreligiosam physicorum doctrinam improbaret [1], non commisit ut ipse de deorum natura curiosius quaereret : Stoici vero Deum, dum quaerunt, incauti tollunt. Etenim, postquam quidquid efficiat aut efficiatur corpus esse saepius decantavere [2], neque quidquam, praeter inane et locum et tempus, incorporeum esse [3], sequitur Deum, seu, ut accuratius loquamur, mundi causam et principatum (τὸ ἡγεμονικὸν) aut corpus esse aut nihil.

(1) Plat. *Phaedr.*, p. 96.— (2) Cic. *Acad. post.* I, 11. Sen. *Ep.* 106. Plut. *De comm. notit.*, 20. *Placit. phil.* IV, 20.— (3) Sext. Emp., X, p. 218.

Quod quum non negarent Stoici, materiam substantiam Dei esse dixerunt [1]. Atqui, si verborum aucupia effugiamus, quid interest utrum materiam substantiam Dei an ipsum Deum esse dicas, quum Deus sine substantia nullo modo excogitari possit? Materiam igitur quum a Deo informatam tradunt Stoici, eam sponte et proprio motu informatam intelligamus oportet; quo posito, iam tollitur omnis inter Stoicos et physicos differentia. Sed effugium quoddam callidi viri invenerunt. Nam mundum animanti conferentibus placuit crassiorem materiam pro inerti et irrationabili corpore haberi; principatum autem subtiliori, aetheri scilicet seu igni coelesti detulere [2]. Iam rem tenes; deum habemus, Cleanthis laudibus sane dignum, ignem artificiosum et prudentem qui omnia cum modo et ratione disposuit, nihil temere, nihil fortuito, nihil negligenter effecit [3], ita ut ni necessitas quaedam aliquando obfuisset, nihil in mundo imperfectum reperiretur. Quare diversa plantarum, diversa animantium natura, quare omnia inter se differant et tamen congruant, qua ratione factum sit utriusque sexus discidium et amica dissimilitudo, alii quaerant : « Scite enim Chrysippus ut clypei causa involucrum, vaginam autem gladii, sic praeter mundum cetera omnia aliorum causa esse generata, ut ea fruges atque fructus quos terra gignat, animantium causa, animantes autem hominem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti [4]. »

Age, nunc ad hominis originem, quam circa tota versatur huius libelli compositio, pervenimus. De hominum ortu nihil sane novum Stoici protulere; nam eo tantum a physicis discrepant, quod, dum omnia e quatuor elementorum com-

(1) Diog. Laert., VII, 137.— (2) Diog. Laert. VII, 134.— (3) Cic. *N. D.*, II, 15. 22.— (4) Cic. *N. D.*, II, 14.

mixtione orta dicunt [1], agentia elementa duo, ignem nempe et aerem, caetera patientia existimant, ita ut singula corpora ex aqua et terra aeris quibusdam fluxionibus formentur, ignis calore intrinsecus temperata animentur [2]. Ignis porro, divino ingenio praeditus, operis praecipuus artifex dici potest. « Zenon Citieus, stoicae sectae conditor, principium humano generi ex novo mundo constitutum putavit, primosque homines ex solo, adminiculo divini ignis, id est, dei providentia genitos [3]. »

Homines caeteris animantibus non dissimili sed perfectiore compositione praestant; nam ita mundi partes artificiosus efformavit ignis, ut, quae inanimatae vocantur meram in se habeant exsistendi facultatem (ἕξιν), plantae facultatem cum motu coniunctam seu naturam (φύσιν), animantes vero et homines naturam cogitatione et impetu praeditam, cui animae (ψυχή) nomen est inditum [4]. Humanam animam quum unam esse adversus Platonem disputarent Stoici, utpote ab uno principatu temperatam, tamen pluribus partibus, quinque scilicet sensibus, praeterea vocali facultate et seminali et principali (τῷ ἡγεμονικῷ) constare docebant, quas corporeas esse vix est quod moneam.

Quae Posidonius et posteriores Stoici, dum suam physicam ad Pythagoram et Platonem et Aristotelem revocare conabantur, ex priorum institutis immutaverint, omittamus; taedet enim tandiu apud istos philosophos commorari, qui, veterum physicorum Naturam Providentiae nomine decorantes, aliud ac nomen immutasse sibi visi sunt; veramque tandem Providentiam, hominis artificem, cum Platone et Aristotele contemplemur.

(1) Nemes. *De Nat. Hom.*, 5, p. 72. — (2) Cic. *N. D.* II, 9. Plut. *De Stoic. Rep.*, 43. — (3) Censorin. *D. d. n.*, 4.— (4) Sext. Emp. *Adv. Math.*, IX, 81. Galen. *De Hipp. et Plac.*, VI, p. 521. Achill. Tat. *Isag. Arat.*, 14, p. 134. Phil. *Alleg. Leg.*, II, 7, p. 71

§ II. *Placita Pythagoreorum et Platonicorum.*

Priusquam ad Platonem accedamus, Pythagoreorum brevis praemittenda est mentio, quorum, non minus quam Socratis, ille discipulus merito dici potest; quis enim dubitat quin quae de mundi et hominum origine in Timaeo Plato exposuerit, Pythagorico de fonte cadant? Caeterum Pythagorae, Philolai, Archytae, Ocelli nomina tantum proferemus; nam quum eorum libri interierint, fragmenta vero quae passim sub eorum nomine feruntur, pleraque plane spuria et a variis scriptoribus adulterata, nullo modo genuinam istius sectae doctrinam reddere possint, nil aliud restat nisi ut Pythagorae repercussum in Platonis operibus lumen intueamur, ignari quid Academiae princeps superiorum disciplinae vel adiecerit vel detraxerit. Sit quidem ut Philolaus in libro *De Natura* quatuor hominis principia distinxerit quibus omnes naturae vires quodammodo complectitur, nempe pudenda quorum facultas omnibus rebus communis est, umbilicus qui plantarum germinationi respondet, cor quod animalem vitam significat, cerebrum quod, utpote rationis locus, proprium hominis est; quid inde consequimur? Dicemusne ideo hominem, quia perfectior sit, post caetera animantia editum esse? sed haec opinio Pythagoreorum disciplinae repugnare videtur qui, quum ab Uno perfecto diversitatis exordium repeterent, consentaneum est ut imperfectiora quaeque tempore posteriora crediderint. Ergone hominem qui animantibus aut certe plantis vescitur, ante animantes et plantas natum existimabimus? Ante animantes ait Platonis Timaeus, de plantis quid statuerit infra videbimus. Imo, si commentitio Ocello Lucano fidem adhibeas, nullo modo de origine generis humani quaerendum est,

nam, ex aeternitate mundi sequitur mundi partes aeternas esse, ideoque quidquid existit, nullum habuisse initium. Age, quidni finem disputationi iam nunc faciamus, Censorino auctore, qui supra memoratam Ocelli opinionem, quasi communem omnium de quibus nunc agendum est, ita refert : « Prior illa sententia, qua semper humanum genus fuisse creditur, auctores habet Pythagoram Samium, et Ocellum Lucanum et Archytam Tarentinum omnesque adeo Pythagoricos; sed et Plato Atheniensis et Xenocrates et Dicaearchus Messenius itemque antiquae Academiae philosophi non aliud videntur opinati; Aristoteles quoque Stagirites et Theophrastus multique praeterea non ignobiles peripatetici idem scripserunt, eiusque rei exemplo negant omnino posse reperiri, avesne an ova generata sint, cum et ovum sine ave et avis sine ovo gigni non possit : itaque et omnium, quae in sempiterno isto mundo semper fuerunt futuraque sunt aiunt principium fuisse nullum sed orbem esse quemdam generantium nascentiumque, in quo uniuscuiusque gentis initium simul et finis esse videatur [1]. »

Haec, de qua tam abunde disserit in Saturnalibus Disarius [2], controversia videamus an Platonem de animantium origine dicturum elinguem reddiderit.

Ac primo, physicae Platonicae placita satis erit breviter memoravisse; causam nempe necessariam esse, rerum omnium formas (ἰδέας) et substantiam in se complectentem, quae humano sermone Deus vocetur; praetereaque informem quamdam materiem, rerum quasi receptaculum, quae, quum vera substantia careat, tamen et ipsa quodammodo, quia causae agenti propter suam inertiam obstat, mali et imperfecti causa dicatur : tum ex utraque agente et patiente causa profectum esse mundum, qui perfectum exemplar

(1) Censorin. *ibid.* — (2) Macr. VII, 16. Cf. Plut. *Symp.*, 3

imperfecte exprimere videtur. Deus autem fabricator quum se ad opus accingeret, corpus globosum terra et igne, ut adspectabile et tractabile esset, admixtis tamen aqua et aere, quibus fieret ignis et terrae coniunctio, composuit; animum autem corpori praefecit, materia individua (ταυτὸ καὶ ὁμοῖον) alteraque dividua (θάτερον), mediante quadam utriusque participe natura inter se copulatis, coagmentatum, intelligentia praeditum, omnesque mundi partes permeantem et moventem, unde mundus recte animal dici potest. Ac praecipuas mundi partes quae rotundam universi figuram redderent, sidera videlicet, divina intelligentia donavit, ita ut deorum nomine et potestate gauderent; quibus quum minora animantia creandi curam permittere vellet (mortalia enim imperfectiora sunt quam ut a deo supremo generentur), eos ita ferme allocutus est : « Quorum operum ego parens effectorque sum non sunt dissoluta, me invito, quanquam omne colligatum solvi potest; sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere. — Tria nobis genera reliqua sunt, eaque mortalia; quibus praetermissis, coeli absolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexa non tenebit; teneat autem oportebit, ut eodem ne quid absit; quae si a me effecta sint, deorum vitam possint adaequare. Ut igitur mortali generentur conditione, vos suscipite ut illa gignatis, imiteminique vim meam, qua in vestro ortu me usum esse meministis : in quibus qui tales creantur ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur, teneantque omnium animantium principatum vobisque iure et lege volentes pareant; quorum vobis initium satusque traditur a me; vos ad id quod erit immortale, partem attexitote mortalem. Ita orientur animantes quos et vivos alatis et consumptos sinu recipiatis.

Haec fatus, in eodem rursus cratere in quo mundi totius animam permiscens temperaverat, superioris temperationis

reliquias miscendo perfudit, modo quodam ferme eodem, non tamen aeque perfectas sed et secundo et tertio gradu a primis deficientes. Toto igitur constituto, sideribus parem numerum distribuit animorum, et singulos adiunxit ad singula — alios in Terra, alios in luna, alios in reliquas mundi partes spargens quasi serebat [1]. »

Ac, ne quid in caeteris sideribus agatur curemus, iam unde et a quo vitalia semina in terram delata sint, perspicimus : quod operis ad efformandam humanam progeniem superest, Terrae demandatum videtur. Nam, postquam dii iuniores creandi munus susceperunt, eo quemque pro se functos esse et incolas sibi, prout visum est, factitavisse verisimile est. Terram igitur hominum parentem iterum cum Platone celebramus, sed quam istius dissimilem quae, crassiore materie copulata et vix diu fluctuantis formae compos, urgente caeca fati et atomorum vi, omnia sponte, inscia quid ageret, edidit! Genitricem habemus, iuniorum deorum antiquissimam, quae a summo Numine propositum exemplar creando imitatur, et, membrorum compagem aedificans, nihil non utilitatis aut decoris causa instituit.

Cuius diuturnum laborem ita fere Plato describit :

« Itaque, quum accepissent immortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem et effectorem sui, particulas ignis et terrae et aquae et aeris a mundo, quas rursus redderent, mutuabantur, easque inter se copulabant, haud iisdem vinculis quibus ipsi erant colligati, sed talibus quae cerni non possent propter parvitatem, crebris quasi cuneolis iniectis, et immortalis animae circuitus irriguo fluidoque corpori circumligabant [2]. »

Istud autem cui divina animae substantia alligatur corpus

(1) Plat. *Timaeus*, 41, A-E (ex vers. Mars. Fic.) — (2) Plat. *Tim.*, 43 B. 44 A.

medullam vocamus, « vincula enim vitae illius, quam anima corpori iuncta ducit, applicata medullae, ex eaque per omne diducta, vinciunt fulciuntque corporis nostri compaginem : ipsa vero medulla est ex aliis generata : sunt quidem trianguli primi quidam et indeflexi levesque ad ignis, aeris, aquae, terrae exactissimam generationem accommodatissimi : e quorum generibus singulis Deus secernens singulos, et invicem contemperatos permiscens, totius generationis mortalium sementem fomitemque constituit, dum medullae ex his substantiam procrearet : postea vero serens in ea animarum genera alligavit : figuras praeterea, quotcumque et qualescumque ex singulis speciebus adesse medullae oportuit, tot penitus atque tales statim in prima illa distributione distinxit : et illam quidem medullae partem, in quam, velut agrum quemdam, divinum semen iaciendum erat, globosam et undique teretem finxit : atque encephalum, i. e., cerebrum idcirco voluit nominari, quia, unoquoque animali denique absoluto, vasculum cerebri capax cephalum, i. e., caput, vocandum erat [1]. »

Quod ut dura quadam testudine tutaretur, « os ipsum ita composuit : terram atterens puram laevemque miscuit madefecitque medulla : id postea in ignem iecit [2] : deinde in aquam mersit, rursus in ignem, iterum et in aquam : atque ita saepe transferens in utrumque, tale reddidit ut a neutro liquefieri posset : hoc igitur usus, sphaera ossea, quasi torno facta, cerebrum circumsepsit [3]. »

Hoc igitur modo « Dii figuram capitis ad mundi rotunditatem finxere — motuumque omnium, quotcumque esse queant, compos id fore excogitaverunt : quum vero inaequalis et aspera et partim quidem acclivis partim declivis

(1) Plat. *Tim.*, 73, B-D.—(2) Cf. Empedocl. ap. Simplic. *De Caelo*, p. 507. — (3) Plat. *Tim.*, 73, E.

terra sit, si humi caput serperet perque terrae superficiem volveretur, hos anfractus sine offensione transire non posset; quod malum ut vitaretur, procerum hunc habitnm corporis ad faciliorem progressum Dii pro vehiculo capiti subiecerunt; corpori praeterea quatuor in longum porrecta et flexibilia membra annexuerunt, quibus facile divina providentia moveretur, apprehenderet videlicet obiecta quaeque, staret et sisteret, perque omnia graderetur, caput superne substruens divinissimi sacratissimique habitaculum : hanc igitur ob causam nobis crura manusque dedere : anteriores autem partes posterioribus praestantiores et ad imperandum aptiores arbitrati, in anteriorem quoque partem moveri nos ut plurimum voluerunt : oportebat porro anteriora discreta et dissimilia esse : quapropter primum globo capitis faciem adiecere, facieique instrumenta — decreveruntque naturale hominis imperium in hac parte anteriore prioreque consistere [1]. »

Corporis vero machinam ex medulla et ossibus et carne Deus fabricavit hoc modo : cerebro absoluto, « quod reliquas mortalesque animae vires comprehensurum erat, rotundis simul oblongisque figuris ornavit, totumque medullam voluit nominari : atque ex iis, quasi quibusdam ancoris, iaciens totius animae vincula, circa illas iam universum nostrum corpus absolvit, ossiumque textura extrinsecus eas fulcivit [2]. » Quam texturam capiti solerter alligavit : osseam enim cerebri sphaeram quum fingeret, « huic angustos reliquit meatus, et circa cervicis simul dorsique medullam (ex individua substantia) rotulas vertiginesque effingens, quasi cardines subdidit, ita ut a capite per totum protenderit : sic utique semen omne servavit, dum lapideo ambitu circumvallavit : articulos insuper addidit — motus flexionisque gratia : arbitratus vero

(1) Plat. *Tim.*, 44 D-45 B. — (2) Plat. *Tim.*, 73 D.

ossium naturam aridiorem rigidioremque quam oporteat fore, et, quum ignita evaserit atque etiam frigefacta, illisuram corrupturamque cito semen internum, nervorum carnisque genus effinxit, ut nervis quidem membra reliqua vincientibus, intensis remissisque circa cardines ipsos, corpus ad omnem flexionem tensionemve promptum et agile redderet: caro vero tegmen foret adversus frigus atque calorem, et, quemadmodum externa corporis fulcimenta solent, ad casus varios munimentum; praesertim quia talis erat futura ut molliter leniterque corporibus cederet: cui calidum idcirco humorem indidit, ut aestate quidem roscidā madidaque extrinsecus toti corpori domesticum praebeat refrigerium, hieme vero rursus proprio igne exteriorem glaciem moderate repellat: haec quum fictor ille nostri corporis cogitaret, mixtione quadam ex aqua igne et terra contemperata, et acuto illis salsoque fermento adhibito, succi plenam ac mollem carnem conflavit: naturam vero nervorum ex osse et carne non fermentata, unam ex utrisque potentia mediam temperavit, flavoque infecit colore: hinc fit ut carne quidem tensior et aridior, ossibus autem agilior molliorque sit nervorum substantia: his Deus medullam simul et ossa devinxit, et haec omnia carnibus cooperuit: quae igitur ossa animata maxime erant, paucissimis carnibus adoperuit; quae vero minime, contra plurimis atque crassissimis: iuncturis insuper ossium, praeterquam ubi necessitatis ratio aliter postulabat, paucas carnes adiecit, ne flexionibus impedimento forent, neve sua crassitudine sensuum aciem hebetarent et ingenii acumen obtunderent — natura enim, ex necessitate genita et nutrita, nullo modo os compactum carnemque multam simul et acutum sensum admittit: maxime namque omnium ea capitis compositio habuisset, si una concurrere potuissent: genusque hominum pingue, nervosum, robustumque habens caput vitam duplam ac etiam multo diuturniorem, validiorem,

placidiorem, quam nos, possedisset : caeterum nostris illis fabricatoribus, de nostro genere consultantibus, utrum diuturnius quidem, sed deterius, an brevioris quidem vitae, sed melioris efficerent, visum fuit vitam brevem melioremque diuturnae et deteriori esse omnino anteponendam : itaque caput osse raro texere, sed carnibus nervisque, quia flexiones non erat habiturum, non fulciverunt : his omnibus de causis caput membris omnibus acutius ad sentiendum prudentiusque, sed imbecillius est constitutum [1]. »

» Caput praeterea nudo osse relinqui omni alio tegmine destitutum non poterat propter caloris frigorisque excessum : neque rursus, carnium pondere praegravatum, sensus expers obtusumque reddendum erat : carne igitur non penitus desiccata residuum quod maius supererat, segregatum est, cutisque ipsa, circa cerebri humorem sibi iuncta et germinans, caput circumvestivit. — Hanc omnem cutem undique ipse pupugit percussitque Deus : per cutis inde quasi sauciae rimulas humor effluxit : quodve illic humidum calidumque sincerum erat, abiit : quod vero ex iisdem, quibus et cutis, erat permixtum, emanationis impetu extra productum, in longum extensum est, tenuitatem punctioni penetrationique illi aequalem habens : sed propter tarditatem a spiritu circumstante retusum, rursusque sub cutem revolutum, radices egit : his utique causis capilli in cute sunt nati, secundum pellis coriique similitudinem cuti quam proximi, sed propter coagulationem a frigiditate factam duriores cute atque densiores : nempe capillus extra cutem productus frigore riguit : hoc pacto constipatum hirsutumque caput nobis Deus instituit. Ea vero, quae in digitis est, nervi pellis et ossis complexio, aridior facta, communi quodam uno durioreque cutis tegmine est adoperta. [1] »

(1) Plat. *Tim.*, 74 A-75 D. — (2) Plat. *Tim.*, 75 E-76 D.

« Nostri praeterea illi exornatores oris naturam dentibus, lingua, labiis, ita ut nunc videmus, ornaverunt [1]. »

« Quoniam vero partes et membra omnia mortalis animantis in mutua quadam cognatione genita erant, vitamque necessario in igne ac spiritu possidebant, ne animal ipsum ab his resolutum exhaustumque cito deficeret, hoc Dii consilio providere : quippe humani generis naturam quamdam cognatam aliis formis sensibusque miscentes, quasi animal quoddam aliud plantaverunt : talia sunt domesticae arbores, plantae, semina, quae consita nunc cultaque arte mitia nobis sunt, quondam vero sine cultura agrestia : quidquid enim vitae particeps est, iure animal nominabitur, — quod autem nunc dicimus vita quidem fungitur, nec est ab animali diversum : quia vero illa vi, qua quid se ipsum transfert, orbatum fuit, stetit rigens et fixum radicibus haesit. [2] »

Plantas igitur simul cum homine, alendi hominis causa creatas esse Platoni placet Pythagoricorum praeceptorum memori, quibus carnis abstinentia imperabatur.

Tum, cibo comparato, hoc operis supererat, ut corpus humanum aptis ad recipiendam et concoquendam escam, sicut antea ad hauriendum halitum et percipiendas rerum sensarum imagines, visceribus et meatibus instrueretur, de quorum structura Platonem medicorum potius quam philosophorum more enucleate disserentem, propter instituti huius operis augustias, inducere non possumus.

Tandem e Dei manibus absolutus prodit homo, idoneis membris et triplici instructus animo [3], cuius pars rationalis in capite tanquam in arce posita, caeteris partibus Irae et Cupiditati, quarum altera in pectore, altera in stomacho

(1) Plat. *Tim.* 75 D. — (2) Plat. *Tim.* 77, A-C. — (3) Plat. *Tim.*, p. 42 A. *Rep.*, IV, p. 436-441 C. IX, p. 580 D. 588 B. *Phaedr.* p. 546 *sqq.* Cic. *Tuscul.*, I, 10.

locatur, imperat, totamque membrorum fabricam suo nutu movet. Hactenus nihil ad futuram procreationem intenditur : quanquam enim, ab imperfecto numine creati propter imperfectae naturae vitium homines aliquando interire deberent, tamen ita fuisse a Deo supremo instituta rerum ratio videtur, ut, nisi a recto deflexissent, post interitum ab eodem numine, a quo prius efformati fuissent, iterum sub eadem forma reficerentur. Sed, postquam, effrenatis irrationabilis animi cupiditatibus varie iactati, multi libidini potius quam Numinis voluntati obtemperaverant, tum Dii, non temere aut improviso consilio, ut qui iam pridem hanc intemperantiam praevidissent, sed ne ex hominum improbitate nihil boni sequeretur, depravatis animis ad mundi ornamentum et varietatem usi, quum novis corporibus eos includerent, muliebribus membris alios, alios variorum animantium habitu instruxerunt; quo modo haec tandem mundi qualem nunc aspicimus figura tum primum effecta est.

« Quicumque virorum iniusti timidique vixerunt, quemadmodum probabilis ratio ostendit, in generatione secunda in feminas sunt conversi, quo quidem tempore hanc ob causam Dii coitus amorem machinati sunt : in viris igitur unum quiddam, in foeminis alterum vitae et animae compos ita composuerunt : ipsum potus discursum, quo per pulmones sub renes in vesicam defluens et spiritui mixtus elisusque depromitur, Dii in fistulae modum in compactam medullam a capite per cervicem et spinam derivaverunt : quod quidem sperma, id est semen, in superioribus nuncupavimus : hoc autem, utpote animatum ac respirans, qua parte spirat, per eamdem vitale effluendi desiderium gignit, atque ita generandi amorem nobis inseruit : quocirca pudendorum naturae in viris insita vis inobediens atque imperiosa, et quasi animal non exaudiens rationem, furiosarum libidinum violentia subicere sibi cuncta conatur : vulva quoque matrixque in

feminis eadem ratione animal avidum generandi, quando procul a foetu per aetatis florem aut ultra diutius detinetur, aegre fert moram ac plurimum indignatur, passimque per corpus oberrans meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angustiis, morbis denique omnibus premit, quousque utrorumque cupido amorque quasi ex arboribus foetum fructumve producunt : ipsum deinde decerpunt et in matricem velut agrum inspergunt : hinc animalia primum talia, ut nec propter parvitatem videantur necdum appareant formata, concipiunt : mox quae conflaverant, explicant, ingentia intus enutriunt, demum educunt in lucem, animaliumque generationem perficiunt. Mulieres hunc in modum et feminae omnes genitae [1] ».

Hic nostrum uberis ingenii philosophum poeticis, suo more, commentis ludentem deprehendimus; qui consulto operam dare videtur, ne, aliquam sententiam pro virili parte propugnando, sibi nova proferendi facultatem auferat. Alias enim aliter sexus naturam et institutionem explicat : modo, Empedocleam amplexus disciplinam, genitalium discrimen ex unius corporis diremptione, cuius binae partes sponte ad pristinam copulationem recurrunt, factum narrans; modo diversam amborum originem excogitans, quorum masculum e sole, femineum e terra, omnium feminarum exemplari, ortum placet. Quid quod tertium quemdam utriusque participem sexum, lunae affinem, memorat, quem si unquam vidit, solus vidit? Sed controversiam omittamus; si quis forte quaerat quo pacto, quum Terra prima femina eademque hominum aut mater aut creatrix dicatur, tamen ea suum sexum deteriorem duxerit, meminerit multos esse in uno Platone philosophos aliumque esse Symposii, alium Menexenis, alium Timaei scriptorem.

(1) Plat. *Tim.*, 91 A-D.

Nunc ad caetera animantium genera veniamus.

« Avium autem genus ex nostro ita est apte formatum, ut pro pilis pennas acciperet : in hoc illi homines transeunt, qui simplices et innocentes quum sint, leves tamen sunt et frustra in rebus sublimibus curiosi; quive adeo fatui sunt, ut oculorum iudicio confisi hoc altissima quaeque firmiter demonstrari posse non dubitent. Gressibilium vero ferarum genus ex his natum hominibus, qui a philosophia penitus alieni ad coelestia nunquam oculos erexerunt, ex eo quod volutionibus illis, quae in capite peragi solent, usi nunquam sunt, sed illas animae partes secuti quae in ventre et pectore dominantur; ex his utique studiis anteriora membra et capita ob ipsam cognationem humi penitus defixerunt : in longum productum ac diversum corporis verticem tenuere, quandoquidem ibi propter desidiam singulorum collisi sunt et confracti circuitus, et ideo, quod quatuor pedum ac etiam plurium est instituta figura, ut insipientioribus Deus maiorem ex pedibus multis atque progressu occasionem praestet per quam magis etiam deflectantur ad terram : eos autem, qui horum insipientissimi erant, corpusque in terram penitus prosternebant, quasi nihil ultra pedibus opus foret, in corpora carentia pedibus et humi serpentia permutarunt. Quartum genus aquaticum est, ex illis natum, qui stolidissimi et imperitissimi fuerant [1] : quos nostri illi transformatores pura respiratione dignos idcirco non iudicaverunt, quia propter extremae transgressionis iniquitatem animam impurissimam prorsus habebant : ideo ex tenui ac pura aeris illa respiratione in aquae respirationem profundam turbidamque merserunt; unde piscium et ostrearum ac denique aquatilium omnium orta est multitudo : in qua certe mutatione illi ex sedium extremarum habitatione inscitiae quoque

(1) Cf. Plut. De *Solert. animalium.*

extremae dant poenas : hunc in modum et olim et nunc in se invicem animalia migrant, dum mentis et dementiae iactura vel adoptione mutentur [1] ».

Platonem eo maxime a caeteris philosophis dissentientem animadvertimus, quod, dum illi rudem principio mundum rudiores primum genuisse animantes putant, deinde ad perfectiora processisse, ille in deterius ruere omnia hominum vitio docet, qua sententia deorum magis quam hominum laudi consulere videtur. Istis idcirco adnumerandus est laudatoribus temporis acti, quibus si credas :

Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Ac me vix risum tenere fateor quum stirpem humanam tot modis et figuris variatam, quae « *desinat in piscem formosa superne* » animo contemplor, simulque vereri ne, vel ob hoc ipsum quod proavos nostros quotidie incauti comedimus, crassi ingenii poenas in imis Oceani vadis expendamus. Quam igitur formam induet, Dii boni! qui avum aut patrem iam mulierem factum in matrimonium duxerit? Vix dubito quin ex rugoso et vieto et Oedipodis simili sene in formosam puellam immutandus sit, ut discat quantum mascula deformitas femineae pulchritudini praestet, quantumque sua ignavia et nefaria libidine a pristina dignitate desciverit! Haec et talia reputans, in summo moerore versarer, nisi meos aequales ingenii acumine percallere ex hoc maxime intelligerem, quod ostreae, quae certe ex stolidissimis hominibus efformantur, rariores quotidie fiunt.

Utut est, omissis iocis et impetrata, ut spero, lectoris venia (nam et in scriis rebus nugari humanum est), ad Pla-

(1) Plut. *Tim.*, 91 D-92 C.

tonem et Platonicos redeo. Quae supra ex Timaeo excerpta attulimus, quanquam Platonis lepore certe non indigna, tantum abest ut certam eius opinionem significent, ut nusquam Ciceroni magis assentias profitenti « in Platonis libris nihil affirmari, et in utramque partem multa disseri, de omnibus quaeri, nihil certi dici [1]. » Plato enim et in *Republica* [2] veterum placita de Saturni aetate priscorumque hominum feritate referens minime reprehendere videtur, et in *Legibus*, quod opus fere ultimum et severiore dicendi genere eximium conscripsit, quidquam de humani generis origine sciri posse negat his verbis : « εὖ γὰρ δὴ τό γε τοσοῦτον χρὴ πάντ᾽ ἄνδρα ξυννοεῖν, ὡς ἡ τῶν ἀνθρώπων. γένεσις ὅ τό παράπαν ἀρχὴν οὐδεμίαν εἴληχεν οὐδ᾽ ἕξει ποτέ γε τελευτήν, ἀλλ᾽ ἦν τε ἀεὶ καὶ ἔσται πάντως, ἢ μῆκος τι τῆς ἀρχῆς ἀφ᾽ οὗ γέγονεν ἀμήχανον ἂν χρόνον γεγονὸς ἂν εἴη [3]. » Quo loco etsi ancipiti dubitatione haerere Plato videatur, tamen eum primae coniecturae favisse inde conicere licet quod eius discipuli, Xenocrates Crantorque et plerique Platonici (quibus assensit et Theophrastes), quum mundum aeternum esse profiterentur, se minime a magistri sententia declinasse asserebant [4], qui supra memoratam de mundi opificio narrationem in Timaeo commoditatis causa finxisset. Nam, quum intuendo vero imparia vulgi ingenia verisimili quadam fabula melius delectari intelligeret, tum etiam mundi structuram, nisi continuata Dei opera et elementorum coagmentatione paulatim efformatam diceret, explicari posse diffideret, ideo satius esse ratus, si communem sententiam amplexari videretur, creationem et mundi fabricam commentus est.

Neque materiam tantum sed et, quae nunc est, structuram aeternam esse Platonici contendebant. Indignantur enim

(1) Cic. *Acad.*, I, 12. — (2) Plat. *Rep.*, 269 B-272 A.— (3) Plat. *Leg.*, VI, 22.—(4) Plut. *De anim. procr. in Timaeo*, 3. *Fragm.* 28. Taurus ap. Joann. *Adv. Proclum*, VI, 8, 27.

isti, ait Plutarchus [1], si quis praesentem rerum statum non perantiquum esse existimat. Plutarchus contra deperditum hodie libellum [2] scripsit ut probaret Platonem aliter ac discipulos sensisse, in quo vix dubito quin, pro suo more, Platonis verba verissime, sententias perperam sit interpretatus. Attamen Platonicam esse facile crederem Senecionis in Plutarchi convivalibus quaestionibus sententiam qui de ovo et animantium origine disserens, sermoni finem facit his fere verbis : « Non terra, ut ait Plato, mulierem imitatur, sed mulierem caeteraeque feminae terram. Ideoque verisimile est primam progeniem e terra eductam esse eamque insita foecunditate esse generatam, absque istis membris et receptaculis quibus nunc viventia corpora natura instruxit [3]. »

Eo demum res redit, ut evolutis Platonis libris, de praesenti quaestione nihil pensi, nihil certi nos invenisse fateamur.

Platonis ex praeceptis Socraticisque sermonibus quum hoc maxime Academia tum vetus tum nova arripuisset, « nihil esse certi quod aut sensibus aut animo percipi possit [4] » non commisit ut de hominum origine quaereret, ne suis quidem inventis fidem habitura. Postea vero, Pythagoricis Platonicisque somniis in unum coalescentibus, conflata est mira illa Neoplatonicorum philosophia quae verba pro rebus res pro verbis habet, quaeque adeo in intelligibilibus inhaeret ut ipsa vix intelligi possit. Tunc, quod in Timaeo Plato professus erat, nempe hominem non a supremo Deo sed a minori quodam Numine creatum fuisse, alii aliis argumentis demonstraverunt.

Hoc Numen modo Verbum, modo Demiurgum appellat Philo, Rationem seminalem ex anima mundi profectam Plo-

(1) Plut. *Fragm.*, 28. — (2) Catal. Lampr., 64. — (3) Plut. *Symp.*, VIII, 8. — (4) Cic. *De Orat.* III, 18.

tinus, Demiurgum denique non libero arbitrio sed naturae quadam necessitate creantem Proclus : daemonas seu genios alii excogitaverunt. Nec ita diverse Gnostici, Saturninus, Bardesanes, Basilides, Valentinusque, qui medium inter Platonicos et Christianos locum obtinent. Qua vero ratione corporis humani, quisquis fuerit, artifex opus suum confecerit non dubito quin isti dilucide perspexerint, qui ad Dei contemplationem aliquando pervenisse, et omnia simul in Uno contemplati esse feruntur, sed eis divino furore inebriatis idem quod ebriis accidisse existimo, scilicet ut simul cum resipuerint, eorum quae viderant nihil non sint obliti; quo minus equidem miror, plus autem doleo eos de nostro argumento tacuisse.

Ex istorum somniantium, sacrificantium, theurgia aut nescio quibus mysteriis animas purgantium philosophorum concilio aufugiamus, sanaeque mentis virum, omnium qui apud Graecos ad philosophiae studium se contulerunt tum ingenii acumine, tum omni genere humanitatis longe principem Aristotelem consulamus.

§ III. *Placita Peripateticorum.*

Prudentem sane dicemus philosophum qui quod ratiocinio assequi non poterat, coniectura noluit. Quippe quamvis physicae et naturalibus quaestionibus multam operam curamque impenderit, multaque de generatione animalium scripserit, tamen nihil de hominum origine, nisi quae communi opinione confirmantur, asseruit, nempe Deum seu providentem naturam quaeque exstant ad certum quemdam finem, ideoque opportuno loco et tempore et modo et forma effinxisse.

At quum tam doctum naturae inquisitorem fugere non

posset in mundo non modo miram partium consensionem sed harum partium etiam aliquam inter se similitudinem inesse, modestis sane verbis notavit quod quidam recentiores a se inventum volunt. Ita enim a natura disposita ait esse mundi figuram ut ab inanimatis rebus usque ad hominem continua sit perfectionis quaedam progressio, facultatesque animae a corporis forma et structura pendeant; plantarum quidem vegetantem esse animam, animantium sentientem, hominem cogitantem : « ἡ γὰρ φύσις μεταβαίνει συνεχῶς ἀπὸ τῶν ἀψύχων εἰς τὰ ζῷα διὰ τῶν ζώντων μὲν οὐκ ὄντων δὲ ζῴων ,οὕτως ὥστε δοκεῖν πάμπαν μικρὸν διαφέρειν θατέρου θάτερον τῷ σύνεγγυς ἀλλήλοις [1]. » Quo loco Aristoteles minime cum istis recentioribus philosophis, qui res paulatim immutari et ad perfectiorem statum certo motu procedere volunt consentire, nec usquam summam Naturae manum desiderasse videtur. Nam, quoniam hanc immutationem, si revera fiat, lentissime fieri concedendum est, ut quae minime perspiciatur, sequeretur inde perfecta quaeque multo post rudiora procreata esse. Atqui ab ista opinione alienum fuisse Aristotelem testatur Censorinus qui Peripateticos inter eos recenset quibus nullum exstitisse generis humani initium videbatur [2].

Theophrasto eadem placuisse ex non paucis locis facile probatur. Motum enim a quo generantur omnia et dissolvuntur nullum initium habuisse, finem vero habiturum docebat, ideoque omnes mundi partes ab aeterno efformatas esse [3].

Stratonis sententiam qui, relicta morum disciplina, totum se ad naturae investigationem contulisse dicitur et propterea nomen Physici adeptus est, Ionicorum placitis simillimam apud Ciceronem invenimus, nempe asserentis « quaecumque

(1) Aristt. *De part. anim.*, IV, 5.— (2) Censorin. *D. d. n.*, 4.— (3) Simplic. *In Aristt. Physic.* p. 230.

sint omnia effecta esse a natura », aut negantis « opera deorum se uti ad fabricandum mundum. [1] » Sed quum in tanta testimoniorum paucitate quam rem verbo « *naturae* » subiecerit Strato non liqueat, eum Anaxagorae forte consociandum ab Aristotele non dividemus.

Fatendum tamen est totam Peripateticorum de rerum origine disciplinam iam a principio ad physicorum rationem inclinasse nec quidquam sibi proprium habuisse nisi quod Naturam divina providentia praeditam professa est.

Ita, perlustratis philosophorum scholis eo demum revertimur unde operis exordium ceperamus, viatorum instar qui, postquam varias regiones peragraverunt neque ullum invenerunt locum ubi diutius immorari vellent, domum tandem nihil secum nisi itineris memoriam reportant. Quid enim inter tot poetarum commenta philosophorumque opiniones sapientius excogitatum aut sublimius dictum reperimus his sacrae Scripturae verbis : « Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae et factus est homo in animam viventem ? [2] »

(1) Cic. *Acad.* II, 38. — (2) Genes. II, 7.

INDEX.

Vidi ac Perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XVIII, Cal. Octobr., ann. M DCCC LXXI.

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

PATIN.

Typis mandetur

Academiae Parisiensis rector,

A. MOURIER

Lutetiae Parisiorum. — Ex typis E. DONNAUD, via dicta Cassette, 9.

